P. RAMI Veromandui Regii Professoris, DIALECTICÆ Libri duo:

Quibus loco Commentarii perpetui post certa capita subjicitur,

GUILIELMI AMESII Demonstratio Logicæ Veræ,

Simul

Cum Synopsi ejusdem, quâ uno intuitu exhibetur

Tota Ars bene Differendi.

CANTABRIGIÆ,
Ex Officina *Joann. Hayes*, Celeberrimæ Academiæ Typographi. 1672.
Impensis *G. Morden*, Bibliopolæ.

263 52

PETRUS RAMUS
LECTORI S.

ARchimedes, *Lector, sphæræ & cylindri rationem (in cujus inventione vehementiùs elaboraſſet) ſepulchro ſuo incidi voluit. Et quidem, ſi me de vigiliis ſtudiiſque meis interroges, ſepulchri mei columnam è Logicæ artis inſtitutione deſiderem. De cauſa voti reſpondebunt, primò ad artis accurationem libri De inventione argumentorum & eorum diſpoſitione ad judicandum, non ſolùm ab Ariſtotele Organici, Rhetorici, Phyſici; ſed à Ciceronе & Quintiliano tam multi Oratorii: in quibus univerſis in duorum libellorum pugnum ratione vidque contrahendis omni ſtudio diligentiâque contendimus, nequa Logicæ particulæ cujuſquam vel umbra illic confuſa eſſet, cujus veritas non hîc expreſſa tenerctur. Atque hæc prima problematis Archimedei conſcientia erit. Reſpondebunt deinde, ad Logicæ uſum, elegantiam, dignitatem partibus omnibus explicandum, excitatæ Logicis meditationibus cùm populares Poëtarum, Oratorum, Hiſtoricorum laudes, tum liberales & ingenuæ artes novi corporis novâ ſpecie ſui ſtudioſis adoleſcentiores, præclariſque dotibus ornatiores & locupletiores factæ, ac, nequa agreſtium procorum protervia timerctur, ſuarum quæque ſcholarum tanquam liberali cuſtodiâ ſeptæ & comitatæ. Hæc ſecunda problematis Archimedei conſcientia erit. Teſtes igitur iſti Logicam & veritatem & utilitatem tot dierum noctiumque vigiliis exquiſitam teſtati, de voti noſtri cauſa reſpondebunt, téque, Lector, ut ſpero, commonefacient, inſaniam neſcio quam in pleriſque omnibus Europæ Academiis altercandi de ſuis præceptis ſophiſticam Logicæ & veritatis & utilitatis longè diſſimilem eſſe, téque ad veriora & utiliora*

præstantissimæ facultatis studia prænilique inflammabunt. Ecquid verò interea turbæ tam graves objectæ, theatra scenicis probris exstructa, tribunalia judicum pœnis minacia, damnatio tandem fœdis ignorantiæ calumniæque notis infamis, è toto Philosophiæ regno manibus & linguâ velut amputatis inaudita proscriptio, an exiguam voti nostri causam perhibebunt ? Quid consecuta per Henricum Regem à judicii tam dementis invidia liberatio, & in solidam sanctioris judicii laudem regia professio ? Quid postea (cùm logicus hic ardor in religionis causam invasisset) longè gravissima offensio, vitæ salutisque propterea tribus jam bellis civilibus jactatio, nullúmne voti nostri causam indicabunt ? Imò verò etiam admonebunt, ut Deo Optimo & Maximo gratias habeamus, quòd studiorum nostrorum cursum hoc tanquam circo agitari & exerceri, neque tamen ullâ metarum conversione frangi voluerit. Ideóque obtestor ut logicum lumen in bonis & veri percipiendi studiosis ingeniis accendat, cùmque ad ingenuas artes exornandum, tum ad cœlestia sacræ doctrinæ mysteria illustrandum magis ac magis augeat : perficiatque ut ipso in nominis sui gloriam epigrammate logici epitaphii tabula concludatur.

Resolutio

(ad pag. 4.)

Resolutio P. Rami *Dialecticæ* in Tabellas.

LIB. I. TABULA PRIMA.



TABULA SECUNDA.



TABULA TERTIA.



TABULA

TABULA QUARTA.



TABULA QUINTA.



TABULA SEXTA.

A primo orta: & orta sunt

1. Conjugata quæ sunt ex consentaneis
   - Absolutè
     - Causa. — Cap. 22.
     - Effecto. — Cap. 22.
     - Subjecto. — Cap. 22.
   - Modo quodam
     - Adjuncto. — Cap. 23.
   - Notatio.

2. Distributio ex Argumentis Consentaneis
   - Absolutè
     - Causis, ubi de Integro — Cap. 25.
     - Membris — Cap. 25.
     - Effectis, ubi de Genere — Cap. 6.
     - vel Specie
       - Generalissimum — Cap. 6.
       - Subalternum. — Cap. 27.
   - Modo quodam
     - Subjectis. — Cap. 28.
     - Adjunctis.

Definitio:
- Perfecta, cujus partes,
  - Genus & Forma. — Cap. 29.
- Imperfecta seu Descriptio. — Cap. 30.


Deorum oracula.
Inartificiale: ut Testimonium, quod est vel
Divinum.
Humanum.
Vatum & Fatidicorum.
Responsa
Cap. 3.
Generale seu Commune
Lex
Illustris Sententia:
Scripta.
Non scripta.
Proverbia.
Dicta sapientum.
Speciale seu proprium
Mortuorum.
Vivorum, quo referuntur
Confessio
Obligatio, sub qua pignus.
Libera.
Coacta.
Cap. 32.
Jusjurandum.


Judicium est vel
Axiomaticum. In Axiom. considerantur
Species
Assectiones
1. Axioma est
Affirmatum.
Negatum,
Cap. 20.
2. Axioma est
Verum
Contingens
Necessarium
κατὰ παντὸς, καθ' αὐτὸ, καθ' ὅλου πρῶτον.
Falsum.
Cap. 3.
Simplex
Generale.
Speciale.
Particulare.
Proprium.
Cap. 4.
Compositum
Congregativum.
Copulatum.
Connexum.
Cap. 5.
Cap. 6.
Segregativum.
Discretum.
Disjunctum.
Cap. 7.
Cap. 8.
Dianoeticum.
Tab. 9.


Dianoeticum. Dianoia est vel
Syllogismus, in qua consideran ur
3 Species Syllogismus enim est vel
2 Affectiones, quæ sunt
1 Pariter.
Antecedens cujus partes
Propositio
Assumptio
Cap. 9.
Consequens, quæ conclusio & complexio dicitur.
1 Enthymema.
2 Prosyllogismus.
Cap. 9.
3 Inversio.
Simplex,
Explicatus, cujus sunt duæ species.
Contractus partibus. Cap. 10.
Prima, ejusq; subdivisiones hic
Generalis
Specialis
Proprius
I
II
Cap. 11.
Secunda est
Generalis
Specialis
Proprius
Affirmatus.
Negatus.
C. 12.
Compositus
Connexus
Primus. Cap. 13.
Secundus. Cap. 14.
Disjunctus
Primus. Cap. 15.
Secundus. Cap. 16.
Methodus. Cap. 17 & 18.

GUI-

GUILIELMI AMESII PROLEGOMENA.

THESIS I.

ARs est regularis institutio rei, in existentia & operatione, ad suum finem.

2. Ad eam requiruntur, *Intellectus* principiorum, quæ ad eam rem sunt necessaria; eorundem inter se conjungendorum *scientia*; aliorum ex aliis deductio per *Sapientiam*; omnium ad usum applicandorum *Prudentia*, & executio ipsa, quæ proprie dicitur *Ars*; & si ab alio alteri tradatur, *Doctrina* vel *Disciplina*.

3. Ars hæc quadruplicem habet existentiam, 1. In Idea, 2. in actu exercito, 3. in opere ejus effecto, & 4. in pictura vel imagine ejus expressa.

4. *Idea* artis primo, perfecte & eminenter, est in ente Primo, a quo reliqua emanant, id est, in Deo. Est etiam ex parte in rationali creatura cui Deus & oculum dedit ad eam percipiendam, & eam ipsam pro suo modulo communicavit, per sensum, observationem, & experientiam.

5. *Actus* primo est in rerum creatione, & creaturarum directione ad finem, sed est etiam in hominis actionibus per imitationem.

6. *Opus* primò est in rebus ipsis creatis, & earum statu, sed est etiam in rebus ab homine simili modo concinnatis. Hujus est usus conjunctus & speculatio separata.

7. *Imago* est effigies illa, quæ vel in rationalis creaturæ speculatione existit, vel in ejus delineatione, quæ ponitur in libro, constans ex præceptis perfectissimis ad certæ rei εὐπρέπειαν concinnatis.

8. Hæc *imago* ex rei artificio colligitur per *Analysin* ejus in principia prima. In *Ideam* postea convertitur a creatura rationali, quæ etiam similem structuram exprimit quæ *Genesis* nominatur.

9. Ars prout in Deo est, licet virtute multiplex, actu tamen simplex est & una; sed in rebus creatis, quæ omnes sunt concretæ (quasi ex refractione radiorum) multiplex evadit: & in illâ multiplicitate à rationis oculo recipitur, & exercetur.

10. In rebus creatis distinctè considerantur *ens* ipsum *reale* & *ratio* ejus: inter quæ priorem ex natura locum habet *ratio*, quæ non solum vim habet in re jam factâ dirigendâ, & in omni ejus parte: sed etiam in ejus effectione, & in suimet ipsius reflexione.

11. *Rationis Ars* est *Dialectica*.

12. Hujus artis imago ab homine recepta duas alias artes secundarias & sibi ancillantes parit, quibus ab homine ad hominem deferri possit: *Grammaticam* & *Rhetoricam*.

13. Istæ tres artes sunt generales, quia in omnibus rebus & artibus usum habent.

14. In ipso *Ente reali* est limitatio per quantitatem, actus per naturam, & finis quæ bonitas appellatur.

15. Quantitatis artes sunt *Mathematicæ*. Naturæ *Physica*. Bonitatis *Theologia*: sed *Theologiæ* non nisi tenuia principia in rebus creatis insunt, aut ex ipsis colligi possunt: quoniam irrationales creaturæ, quamvis

vis Deum versus tendunt, qui est primum & summum bonum, ad ipsum tamen non attingunt. Homini igitur doctrinâ seu revelatione divinâ opus est, ultra vestigia illa bonitatis quæ in creaturis adumbrantur, ut bene vivendo ad Deum ascendat.

16. Harum omnium artium comprehensio, qua res emanant ab ente primo, & ad ipsum denuo redeunt, *Encyclopædia* nominatur: cujus catenæ circularis primus annulus est *Dialectica* & ultimus *Theologia*.

P. RAMI DIALECTICÆ

LIBER I.

DE INVENTIONE.

CAPUT I.

Quid Dialectica.

DIALECTICA est ars bene differendi: eodémque sensu logica dicta est.

CAPUT II.

De partibus Dialecticæ, déque argumenti generibus.

DIalecticæ partes duæ sunt, Inventio & Judicium. Inventio, est pars Dialecticæ de inveniendis argumentis. Argumentum, est quod ad aliquid arguendum affectum est: quales sunt singulæ rationes solæ & per se consideratæ. Argumentum, est artificiale aut inartificiale: Artificiale, quod ex se arguit: est autem primum, vel à primo ortum.

Primum, quod est suæ originis: éstque simplex aut comparatum. Simplex, quod simpliciter & absolutè consideratur: Estque consentaneum aut dissentaneum.

um. Consentaneum, est quod consentit cum re quam arguit; estque consentaneum absolutè aut modo quodam: absolutè, ut causa & effectus.

DEMONSTRATIO LOGICÆ VERÆ.

THESIS I.

DIALECTICA est ars bene differendi; id est, rationes rerum bene discernendi, & inter sese componendi.

2. Rationes rerum vel simpliciter & seorsim considerantur, vel conjunctim & compositè: Dialecticæ igitur duæ sunt partes, *Inventio* & *Dispositio*.

3. *Inventio* est prima pars hujus artis qua simplices rationes investigantur: singulæ enim *inventionis* regulæ sunt totidem viæ ac normæ rationes rerum secernendi.

4. Simplices istæ rationes dicuntur *argumenta*: quia affectum vel aptitudinem habent ad aliud aliquid arguendum: id est respectu vel habitudine feruntur ad aliud aliquid: & eum à quo rectè intelliguntur ad cogitationem illius secum ferunt.

5. *Argumentorum* alia in se vim habent arguendi, quia sunt in ipso artificio rei: atque adeo possunt ab artifice beneficio artis investigari: aliud vero non habet in se, sed ad se assumit aliunde, quia est extra artificium rei & ab artifice commodato tenetur: illud argumenti genus dicitur *Artificiale*, hoc autem *Inartificiale*.

6. Inter *Argumenta artificialia*, quædam primitus

afficiuntur ad arguendum, id est, vim illam à se & primariò habent, quæ dicuntur *Prima:* quædam vero secundariò afficiuntur ad arguendum, & *Orta* vocantur, quæ vim illam quam habent referunt acceptam ad priora.

7. *Argumenta prima* vel simpliciter & absolutè inter se referuntur, & inde dicuntur *Simplicia* seu *Absoluta:* vel ita referuntur, ut æstimatio inde utriusque fiat, atque ideo *Comparata* dicuntur.

8. *Argumentorum simplicium* affectio, vel est amica quædam consensio, qualis intercedere solet, ubi una res ad alterius essentiam, effectionem, vel complementum aliquod concurrit; vel est disjungens quædam vel dissocians alienatio: illa sunt *Consentanea*, hæc *Dissentanea*.

9. *Consentaneorum* alia arctius inter se conspirant, ita ut alterum ab altero pendeat quoad essentiam, effectionem & cognitionem, atque ideo dicuntur *absolutè* vel simpliciter *Consentanea*, *Causa* nempe & *Effectum*; alia vero levius & remissius, ita ut nulla intercedat communio essentiæ, sed unum requiratur tantum ad alterius bene esse, & inde vocantur *modo quodam Consentanea*, *Subjectum* scil. & *Adjunctum*.

Caput III.

De efficiente, procreante & conservante.

Causa est, cujus vi res est. Itaque primus hic locus inventionis fons est omnis scientiæ; scirique demum creditur, cujus causa teneatur: ut meritò dicatur à Poëta:

Felix qui potuit rerum cognoscere causas.

Cau-

Causa est efficiens & materia, aut forma & finis. Efficiens, est causa à qua res est: cujus etsi vera genera nulla nobis appareant, ubertas tamen permagna modis quibusdam distinguitur: Primò quod procreet aut tueatur. Ovid. 1. de Remedio:

Ergo ubi visus eris nostra medicabilis arte,
Fac monitis fugias otia prima meis:
Hæc ut ames, faciunt: hæc quæ fecere, tuentur:
Hæc sunt jucundi causa cibique mali.
Otia si tollas, periere Cupidinis arcus,
Contemptæque jacent & sine luce faces.

Sic pater & mater procreant: nutrix tuetur.

4. Æneid.

Non tibi diva parens generis, nec Dardanus author,
Perfide: sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanæque admorunt ubera tigres.

Sic Romulus conditor Romanæ urbis: Reges deinde reliqui, Consules, Imperatores, tutores & conservatores fuere.

CAPUT IV.

De efficiente sola & cum aliis.

SEcundò causa efficiens sola efficit, aut cum aliis: Earúmque omnium sæpe alia principalis, alia adjuvans & ministrans. 9. Æneid. Nisus avocat ab Euryalo in se factæ cædis & culpam & pœnam: quia solus author fuerit:

Me me: adsum, qui feci: in me convertite ferrum,
O Rutuli: mea fraus omnis: nihil iste nec ausus,
Nec potuit.

Solitaria causa cum plerisque & principalibus & sociis, pro Marcello variè adhibetur. Nam bellicas

laudes (ait Orator) solent quidam extenuare verbis, easque detrahere ducibus & communicare cum multis ne propriæ sint imperatorum: & certè in armis militum virtus, locorum opportunitas, sociorum auxilia, classes, commeatus multum juvant: maximam verò partem quasi suo jure fortuna sibi vendicat, & quicquid est prosperè gestum, id pene omne ducit suum. At verò hujus gloriæ, Cæsar, quam es paulò antè adeptus, socium habes neminem: totum hoc, quantumcunque est (quod certè maximum est) totum (inquam) est tuum. Nihil tibi ex ista laude centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit: quinetiam illa ipsa rerum humanarum domina fortuna in istius se societatem gloriæ non offert: tibi cedit, tuam esse totam ac propriam fatetur. Instrumenta etiam in causis adjuvantibus connumerantur: quo argumento impius Epicureus disputat, mundum nunquam esse factum. 1. de Nat. Quibus enim (ait) oculis animi intueri potuit vester Plato fabricam illam tanti operis, qua construi à Deo atque ædificari mundum facit? Quæ molitio? quæ ferramenta? qui vectes? quæ machinæ? qui ministri tanti operis fuerunt?

Caput V.

De efficiente per se & per accidens.

Tertiò, causa efficiens per se efficit, aut per accidens: Per se, quæ sua facultate efficit: ut quæ natura vel consilio faciunt. Ventorum naturalis efficientia est 1. Æneid.

Incubuere mari, totumque à sedibus imis
Unà Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis
Afri-

Africus : & vastos tollunt ad littora fluctus.

Consilii exemplum est illa Ciceronis de se confessio, Suscepto bello, Cæsar, gesto etiam magna ex parte, nulla vi coactus, judicio meo, ac voluntate ad ea arma profectus sum, quæ erant sumpta contra te.

Per accidens efficit causa, quæ externa facultate efficit : ut in his quæ fiunt necessitate vel fortuna : necessitate, cùm efficiens vi cogitur ad effectum : qualis est Pompeianorum excusatio : At mihi quidem (ait Orator) si proprium & verum nomen nostri mali quæratur, fatalis quædam calamitas incidisse videtur, & improvidas hominum mentes occupavisse : ut nemo mirari debeat humana consilia, divina necessitate esse superata.

Fortuna est causa per accidens, quando præter efficientis scopum aliquid accidit. Sic casu fortuito (ait Tullius ; de Nat. Deorum) Pheræo Jasoni profuit hostis, qui gladio vomicam ejus aperuit : quam sanare medici non poterant. In hoc genere causæ tum imprudentia connumerari solet. Ovid. 2. Trist.

Cur aliquid vidi ? cur noxia lumina feci ?
Cur imprudenti cognita culpa mihi est ?
Inscius Actæon vidit sine veste Dianam :
Præda suis canibus nec minùs ille fuit.
Scilicet in superis etiam fortuna luenda est :
Nec veniam, læso numine, casus habet.

Hinc sumitur deprecatio ; qualis est pro Ligario : Ignoscite, Judices : erravit : lapsus est : non putavit : si unquam posthac. Et paulò post. Erravi : temere feci : pœnitet : ad clementiam tuam confugio : delicti veniam peto : ut ignoscas oro. Fortunæ autem nomen ignoratio causarum confinxit : cùm enim aliquid præter consilium spémq; contigerit, fortuna vulgo dicitur : nec insciè Juvenalis,

Nullum

Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia, ſed te
Nos facimus, fortuna, deam, cœloque locamus.

DEMONSTRATIO.

10. *Cauſa* eſt quæ vim adfert ad rei productionem, à causâ enim vis proficiſcitur, quæ conferens aliquid ad rei conſtitutionem, in re ipſa hæret: res igitur ſuum eſſe habet à causâ, per hanc vim: unde ſequitur, accuratam ſcientiam rei, non poſſe haberi niſi per cognitionem illarum cauſarum, quarum vires ac virtutes concurrunt ad eam conſtituendam: atque hæc eadem eſt ratio, cur inter omnia *Argumenta* primum locum teneat: quia ſcil. affectionem primam & primariam habet in artificio rei.

11. Cauſarum quædam ſimul incipiunt operari ad exiſtentiam rei, ut *Efficiens* & *Materia*: quædam ab iis inceptum peragunt & rem ipſam ſimul exiſtere faciunt, ut *Forma* & *Finis*.

12. *Efficiens* eſt cauſa à qua motus vel operatio ad rem incipit & perficitur. Quoniam vero originem præbet ipſi motui, non poteſt in motu vel re motu facta contineri; ſed vim ſuam tantum iis commodare ſolet.

13. Quamvis *Cauſarum* in reali earum natura tot ſint ſpecies quot ſunt earum exempla, nulla tamen ex quatuor *Cauſis* veras habet ſpecies, in Logica notione, nihil enim inter illas & rem intercedit, ſed proximæ cauſæ ſunt rei exiſtentis. Efficiens ergo non habet veras ſpecies.

14. Diſtinguitur nihilominus modis quibuſdam: quorum illa eſt natura ut eidem efficienti poſſint convenire: ejus tamen affectionem in arguendo effecto, multum variant.

15. Va-

15. Varii modi *efficientis* apparent, aut in *effecto*, quod vel facit ut sit, & dicitur *procreans*, vel ut porro sit, & *conservans* nominatur; aut in *adjunctis*, quia sine vel aliis ejusdem generis & ordinis rem quampiam dat effectam, & dicitur *solitaria*, vel cum aliis, quæ dici potest *concausa*, ubi vel pares vires adferunt, vel una præit & dicitur *principalis*, aliæ subsequuntur, & *adjuvantes*, vel *ministræ* dicuntur, quorum etiam peculiaris quidam modus est in *instrumentis* quæ infimum locum habent, quia non tam sua vi agunt ad effectum producendum, quam se præbent ut aliena vi agantur; aut denique in ipsa vi seu facultate agendi, quæ vel est interna, unde efficiens dicitur *per se*, sive *naturâ* sive *consilio* agat, vel externa unde efficiens dicitur *per accidens* sive *necessitate* coacta agat; sive *fortunâ* errans a suo scopo.

CAPUT VI.

De Materia.

MAteria, est causa ex qua res est. Hoc argumento ficto, apud Ovid. 2. Metam. Solis domus auro, pyropo, ebore, argento componitur.

Regia Solis erat sublimibus alta columnis,
Clara micante auro, flammâque imitante pyropo:
Cu us ebur nitidum fastigia summa tegebat:
Argenti biforces radiabant lumine valvæ.

Cæsar 1. Bel. civil. Imperat militibus Cæsar, ut naves faciant, cujus generis eum superioribus annis usus Britanniæ docuerat: carinæ primùm ac statumina ex levi materia fiebant: reliquum corpus navium viminibus contextum, coriis integebatur.

DE-

DEMONSTRATIO.

16. *Materia* paratur, disponitur, atque adeo movetur ab efficiente ad formam recipiendam: proxime igitur ad efficientem accedit ordine, & formam antecedit ut principium potentiæ & perpessionis. Ingreditur in rem non vi sola sed & realitate sua partem essentiæ constituens interné: est igitur causa *ex qua res est*, tanquam ex fundamento ædificii totius, quo etiam formæ existentia & actio solent corroborari. Nullis modis distinguitur, quia licet vis variis modis ab efficiente conferri potest, ipsa tamen realitas materiæ non nisi reáliter communicatur. Distinctio illa in *primam* & *secundam*, &c. non est Logica, quia variam notionem vel rationem realitatis materiæ non continet, sed ordinem solum materialium principiorum quæ non sunt hujus disciplinæ.

CAPUT VII.

De Forma.

CAusæ primum genus ejusmodi est, in efficiente & materia: secundum sequitur, in forma & fine. Forma, est causa, per quam res est id quod est: ideóque hinc à cæteris rebus distinguitur: & forma simul cum re ipsa ingeneratur. Anima rationalis, est forma hominis: quia per eam homo est homo, & a cæteris omnibus naturis distinguitur. Geometricarum figurarum, in triangulis, quadrangulis sua forma est: Physicarum rerum, cœli, terræ, arborum, piscium sua forma est. unde præcipua rerum ut natura est, sic erit expli-

explicatio, si possit inveniri: ut in artificiosis rebus facilius occurret. Cæsar. 7. Muri autem omnes Gallici hac fere forma sunt: trabes directæ perpetuæ in longitudinem, paribus intervallis distantes inter se binos pedes, in solo collocantur: hæ revinciuntur introrsus, & multo aggere vestiuntur: ea autem, quæ diximus, intervalla grandibus in fronte saxis effarciuntur. His collocatis & coagmentatis alius insuper ordo adjicitur, ut idem illud intervallum servetur, neque inter se contingant trabes, sed paribus intermissæ spatiis, singulæ singulis saxis interjectis arcte contineantur: sic deinceps omne opus contexitur, dum justa muri altitudo explcatur: hoc cum in speciem varietatemque opus deforme non est, alternis trabibus ac saxis, quæ rectis lineis suos ordines servant: tum ad utilitatem & defensionem urbium summam habet opportunitatem: quod & ab incendio lapis, & ab ariete materia defendit: quæ perpetuis trabibus pedes quadragenos plerunque introrsus revincta neque perrumpi, neque distrahi potest. Sic forma Virgiliani portus explicatur Æneid. 1.

Est in secessu longo locus: insula portum
Efficit objectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur, inque sinus scindit sese unda reductos.
Hinc atque hinc vastæ rupes geminique minantur
In cœlum scopuli, quorum sub vertice latè
Æquora tuta silent: tum silvis scæna coruscis
Desuper, horrentique atrum nemus imminet umbra:
Fronte sub adversa scopulis pendentibus antrum.
Intus aquæ dulces, vivique sedilia saxo,
Nympharum domus: hic fessas non vincula naves
Ulla tenent: unco non alligat anchora morsu.

DE-

DEMONSTRATIO.

17. *Forma* permeat totam materiam & esse illud proprium confert quod res habet, ultra illam communem naturam quam habet à materia. Variæ res possunt eandem efficientem & eandem materiam habere, sed non eandem formam. hinc *Forma est causa per quam res est id quod est.*

18. *Forma* tria habet officia, 1. Determinatè rem constituere, unde *forma* vocatur. 2. essentialiter eam distinguere, unde appellatur *differentia.* 3. efficere operationes & actiones quarum est principium, unde *actus* nominatur.

CAPUT VIII.

De Fine.

FInis est causa, cujus gratiâ res est. Physicis rebus finis homo propositus est: homini Deus. Omnium artium est aliquod summum bonum & finis extremus: ut Grammaticæ, bene loqui: Rhetoricæ, bene dicere: Logicæ, bene differere. Juno 1. Æneid. connubii finem assumit, cum Æolo Deiopejam pollicetur, solatii scilicet prolisque gratia:

Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ:
Quarum (quæ forma pulcherrima) Deiopejam
Connubio jungam stabili, propriámque dicabo,
Omnes ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.

In defensione Ligarii Cicero Tuberonem accusatorem urget, cùm armorum contra Cæsarem susceptorum

ptorum finem premit. Et certè (ait) contra ipsum Cæsarem est congressus armatus. Quid enim Tubero tuus ille districtus in acie Pharsalicâ gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat! quis sensus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?

DEMONSTRATIO.

19. *Finis* exurgit ex conjunctione materiæ & formæ, & est illa bonitas vel perfectio rei qua est ad operationem & usum apta.

20. Bonitas hæc in efficientis intentione, est *adjuvans causa*; usus ad quem tendit, est *effectum*; res vel persona cui inservit in usu, est *objectum*: ad hæc tamen omnia propter affinitatem, *finis* nomen solet applicari: bonitas vel aptitudo ad usum est propriè *finalis causa*; appetitio ejus impellens efficientem, est *finis intentionis*; usus est *secundarius finis cujus*; res vel persona ad quam spectat est *finis cui*. & in his omnibus generibus, unus aliquando *finis operis* dicitur & alius *operantis*: sed scopus operantis à naturâ operis alienus, per accidens tantum, *finis* dicitur *operationis*.

21. Quamvis causæ distinctæ sint essentiâ & definitione, res tamen quæ vi causarum fit, unicam habet naturam, quæ licet arguatur à singulis causis, tamen ab *efficiente* ut a principio quod primam vim exerit ad ejus productionem, nomen habet *effecti*.

CA-

Caput IX.

De Effectis.

Effectum est quod è causis existit. sive igitur gignatur : sive corrumpatur : sive modo quolibet moveatur quidlibet : hic motus & res motu facta effectum dicitur. Hujus loci sunt laudes & vituperationes, quarum pleni sunt libri sacri & profani. Æneid. 6. facta variorum populorum comparantur ad nominis Romani laudem :

Excudent alii spirantia mollius æra :
Credo equidem, ducent vivos de marmore vultus :
Orabunt causas melius, cœlique meatus
Describent radio, & surgentia sidera dicent.
Tu regere imperio populos Romane memento :
(Hæ tibi erunt artes,) pacique imponere morem :
Parcere subjectis, & debellare superbos.

Huc dicta scriptaque referenda sunt. Pericles & Hortensius bene dicendi laude celebrantur : eodemque argumento Demosthenes & Cicero etiam bene scribendi. Ad hunc locum referuntur consilia & deliberationes, etiam si omnino ad exitum perductæ non fuerint. Parmeno & Philotas morte mulctati sunt quia conjurationis in Alexandrum essent suspecti : ut Curtius & Arrianus meminerunt. De Lentulo & Cethego aliisque Catilinæ popularibus, Romani Senatus judicio supplicium sumptum est. Sunt etiam effecta virtutum & vitiorum. Horatius hoc modo ebrietatis effecta describit : *Epist.* l. 1.

Quid non ebrietas designat ? operta recludit,
Spes jubet esse ratas, in prælia trudit inermem,
Sollicitis animis onus eximit, ac docet artes.

Fœcun-

Fœcundi calices quem non fecere disertum?
Contracta quem non in paupertate solutum?

DEMONSTRATIO.

22. *Effectum è causis* existit. existere vero plus aliquid in se habet quam *esse*: atque adeo dicitur *esse* ab efficiente, ut *effectum*, ex materiâ, ut *materiatum*; per formam, ut *formatum*; & propter finem, ut *finitum*; non autem *existere* nisi ex causis omnibus.

23. *Esse* rei fluit à qualibet causa: *essentia* à materiâ & formâ, quæ idcirco dicuntur *causæ essentiales*: *existentia* pendet ab omnibus causis simul concurrentibus ad *esse* & *essentiam* rei completam: *subsistentia* connotat etiam adjuncta, & *consistentia* membra.

24. *Effectum* duos habet gradus (quorum unus est alterius causa) *motum* procreationis aut conservationis, & *rem motu factam*, sive procreatam, sive etiam conservatam.

CAPUT X.

De Subjecto.

ARgumentum modo quodam consentaneum succedit, ut subjectum & adjunctum. Subjectum, est cui aliquid adjungitur. Anima, est subjectum scientiæ, ignorantiæ, virtutis, vitii: quia hæc præter essentiam accedunt: corpus, sanitatis, morbi; roboris, infirmitatis; pulchritudinis, deformitatis. Homo, subjectum est divitiarum, paupertatis, honoris, infamiæ, vestitus, comitatus. Locus, est subjectum rei locatæ. Sic Philosophi divinis entibus, licet parte & magnitudine carentibus, attribuunt locum. Sic Geometræ

locum locíque differentias in rebus Geometricis: Sic Physici multò etiam diligentiùs in rebus Physicis considerant: in mundo, in elementis simplicibus, in rebus compositis. Sic Virgilius in Georgicis suum quemque propositis rebus locum deligendum admonet: ut segetibus, arboribus, vitibus, pascuis:

At priùs ignotum ferro quàm scindimus æquor.
Ventos & varium cæli prædiscere morem
Cura sit, ac patrios cultúsque habitúsque locorum:
Et quid quæque ferat regio, & quid quæque recuset.
Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ:
Arborei fœtus alibi, atque injussa virescunt.
Gramina.-----

Sensilia sensuum, & res virtutibus ac vitiis propositæ, subjecta vitiorum & virtutum hoc modo nominantur. Color est subjectum visus, sonus subjectum auditus; quia hi sensus, in his sensilibus occupantur & exercentur. Virtutes & vitia declarantur in Ethicis hoc argumento: temperantia & intemperantia voluptate, magnanimitas & ignavia periculo, liberalitas & avaritia divitiis. Sic res numerabilis, Arithmeticæ: mensurabilis (ut ita dicam) Geometriæ subjicitur. Ejusmodi subjecto Cicero 2. Agra. disputat, inter Campanos nullam contentionem esse, quia nullus sit honor. Non gloriæ cupiditate (ait) efferebantur, propterea quod ubi honos publicè non est, ibi cupiditas gloriæ esse non potest: non contentione nec ambitione discordes; nihil enim supererat de quo certarent: nihil quod contra peterent, nihil ubi dissiderent. Eodem argumento à Propertio dictum est:

Navita de ventis, de tauris narrat arator:
Enumerat miles vulnera, pastor oves.

DEMONSTRATIO.

25. Rei jam effectæ & è causis existenti, accedit semper aliquid ab essentia & causis ita distinctum ut ad modum ejus pertineat solum, vel ad bene esse, & accidentale eius complementum. hinc fluunt notiones *subjecti* & *adjuncti*.

26. *Subjectum* naturâ præcedit ut substratum quid, cui adjunctum est adventitium quid præter essentiam accedens. quæ unica *subjecti* ratio tam simplex est, & invariabilis, ut quamvis discrimen latum sit inter receptaculum, & objectum, nec non inter recipiens in se ac ad se, & objectum materiale ac formale, &c. tamen veræ species non dantur subjecti, nec modorum differentiæ nisi aut mancæ aut alienæ.

CAPUT XI.

De Adjuncto.

ADjunctum est, cui aliquid subjicitur : quod argumentum etsi subjecto est levius, attamen est copiosius & frequentius. Itaque de ejusmodi signis ait Ovid. 2. de Remedio :

Forsitan hæc aliquis (nam sunt quoque) parva vocabit.
Sed quæ non prosunt singula, juncta juvant.

Animi corporisque & totius hominis bona & mala, quæ dicuntur, adjuncta sunt animi, corporis, hominis. Denique quicquid ulli subjecto extrinsecus accidit, adjunctum ejus est. Ut autem locus est in subjectis, sic tempus est in adjunctis, duratio nempe rerum, præterita, præsens, futura : omninóque qualitates subjectis præter causas adjunctæ : sive propriæ

ſint, quæ omni ſolique ſubjecto ſemper conveniunt, ut homini riſus, equo hinnitus, cani latratus: ſive communes, quæcunque non ſunt eo modo propriæ. Hoc genere argumenti Fannium Chæream Cicero pro Roſcio Comœdo cavillatur: Nonne ipſum caput & ſupercilia illa penitus abraſa, olere malitiam & clamitare calliditatem videntur? Nonne ab imis unguibus uſque ad verticem ſummum (ſi quam conjecturam affert homini tacita corporis figura) ex fraude, fallaciis, mendaciis conſtare totus videtur? qui idcirco capite & ſuperciliis ſemper eſt raſis, nè pilum ullum viri boni habere dicatur. Sic Martialis 2. lib. Zoilum ludit:

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luſcus:
Rem magnam præſtas, Zoile, ſi bonus es.

Sic veſtitus & comitatus res adjunctæ ſunt: quo circumſtantiæ genere Dido venatum proficiſcens, magnificè 4. Æneid. depingitur:

Oceanum interea ſurgens aurora reliquit.
It portis jubare exorto delecta juventus:
Retia rara plagæ, lato venabula ferro:
Maſſylique ruunt equites, & odora canum vis:
Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Pœnorum expectant: oſtróque inſignis & auro
Stat ſonipes, ac fræna ferox ſpumantia mandit.
Tandem progreditur magna ſtipante caterva
Sidoniam picto chlamydem circundata limbo,
Cui pharetra ex humero, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.

Eſt verò adjunctorum ad ſubjecta, quibus occupantur, uſus item magnus. Hoc argumento Plato miſeras civitates auguratur, quæ medicorum & judicum multitudine indigeant; quia multam quoque & intemperantiam & injuſtitiam in ea civitate verſari neceſſe ſit.

Sed conſentaneorum categoria ſic eſt, unde quid-

vis

vis alteri consentaneum, vel idem vel unum dici possit: omnésque modi unitatis, & ut ita dicam, identitatis, huc sunt tanquam ad primos & simplices fontes referendi.

DEMONSTRATIO.

27. *Adjunctum* illud est quod rei ex causis existenti, vel substratæ adjungitur: sive sit receptum sive occupatum, sive inhærens sive adhærens, sive proprium sive commune.

28. In istis argumentis consentaneis *categoria* est eorum omnium quæ unum vel idem dicuntur, vel communis locus continens primos & simplices fontes omnis unitatis vel identitatis: quæ enim dici solent *eadem genere* sunt eadem materia & forma communi sed non ultima: *eadem* (ut loquuntur) *specie* sunt eadem ultima forma communi: *eadem numero eandem* habent formam singularem: *eadem tempore* idem habent adjunctum: *eadem loco* idem subjectum.

29. Ex iisdem etiam fontibus oritur secundario dissociatio rerum inter se. quæ enim non sunt eadem *causis, effectis, subjectis,* vel *adjunctis:* illa dissociantur, vel dissentiunt inter se; idque levius aut gravius pro ratione distantiæ quam habent ab unitate. in omnibus autem binis rebus est & consensio & dissensio; consensio per affirmationem unitatis, dissensio verò per negationem ejusdem.

CAPUT XII.

De Diversis.

ARgumentum primum consentaneum expositum est: Dissentaneum sequitur, quod à re dissentit: sunt autem dissentanea inter se æquè manifesta, alterúmque ab altero æqualiter arguitur: tametsi suâ dissensione clariùs eluceſcant. Dissentanea sunt diversa vel opposita. Diversa sunt dissentanea, quæ sola ratione dissentiunt. Quo de genere sunt illa frequentissima: Non hoc, Sed illud: Quanquam, Tamen. Pro Pompejo, Non victoriam, sed insignia victoriæ reportarunt. Ovid. 2. de Arte:

Non formoſus erat, ſed erat facundus Ulyſſes.

2. Æneid. *Hic Priamus, quanquam in media jam morte tenetur,*
Non tamen abſtinuit.

Paulò secus in Eunucho:

Nam ſi ego digna hac contumelia
Sum maximè, at tu indignus qui faceres tamen.

Item illa ejusmodi. Pro Lig. Scelus tu illud vocas Tubero? cur? isto enim nomine illa adhuc causa caruit. Alii enim errorem appellant, alii timorem: qui duriùs, spem, cupiditatem, odium, pertinaciam: qui graviſſimè, temeritatem: ſcelus præter te adhuc nemo.

DEMONSTRATIO.

30. Cum *Diſſentaneorum* ratio in dissociatione aut divisione consistat & eorum unum in sua propria natura non pendeat ab altero qua *Diſſentaneum* est, quoad esse, existere, vel sciri, idcirco sunt æqualis luminis & æqualium utrinque virium in arguendo; quapropter etiam uno nomine, unáque definitione per singu-

singulas species continentur. quæ omnia longè aliter se habent in *consentaneis*. in ipsa tamen naturali accommodatione qua eorum affectio exercetur, illustrant sese mutuo vi ipsius dissensionis.

31. Dissociatio rerum duplici gradu fit: quædam enim ita dissociantur ut possint consociari, quoniam externè tantum dissentiunt & solâ ratione, vel respectu alicujus argumentalis affectionis, in qua convenire possent ex naturâ suâ: & hæc appellantur *diversa*, quia quasi divertunt & secedunt paululum à se invicem sine alienatione constante. Quædam autem ita dissociantur, ut non possint consociari vel conjungi, quoniam internè etiam dissentiunt, ac reali naturâ suâ, id est ipsâ materiâ vel formâ: & hæc vocantur *oppositâ*, quia non divertunt solum unum ab altero, sed & alienationem talem inter se exercent, ut positio unius obsistat cæterorum vel alterius positioni, in eadem re, secundum eundem respectum, partem, eodem tempore.

CAPUT XIII.

De Disparatis.

OPposita sunt dissentanea, quæ ratione & re dissentiunt: itaque eidem attribui secundùm idem, & ad idem, & eodem tempore non possunt. Sic Socrates albus & ater non potest eadem parte esse: pater & filius ejusdem: sanus, & æger eodem tempore: At albus esse potest alia parte, & ater alia: pater hujus, filius illius: sanus hodie, cras æger. Itaque ex altero affirmato alterum negatur. Opposita sunt disparata, aut contraria: disparata sunt opposita, quorum unum multis pariter opponitur: ut viride, cine-

raceum, rubrum, media sunt inter album & nigrum : quæ singula extremis, & inter se disparata sunt. Sic liberalitas & avaritia inter se disparantur. Sic homo, arbor, lapis & ejusmodi res infinitæ disparantur : nec eadem res potest esse homo, arbor, lapis. Virgil. 1. Æneid. hoc argumento disputat :

O quam te memorem virgo ! nimque haud tibi vultus
Mortalis ; nec vox hominem sonat : O dea certè.

DEMONSTRATIO.

32. *Opposita* semper debent ita considerari ut lex illa observetur, *eidem, secundum idem, ad idem & eodem tempore.* Alias non dissentiunt re, sic autem considerata, tam realem habent dissensionem, ut unius affirmatione cogitatâ & statutâ, alterius negatio cogitetur & statuatur necessariò, contráque uno negatè cogitato, alterius alicujus affirmatio statuatur. Quæ simul affirmantur, aut simul negantur, non sunt *opposita.*

33. Eorum quæ re dissentiunt quædam longius à se invicem distant, & remotiore solo genere continentur, atque adeo leviorem habent oppositionem ; non fit enim directè per proximas formas propter illam separationem, unde etiam *disparata* dicuntur, quasi disseparata, quorum unum multis pariter vel eâdem ratione potest opponi, quia per illam distantiam remotam locus datur interventui multorum ; & nihil est quod separatur ab una sola re : quædam continentur sub proximo genere & sub eo pugnant quasi cominus contra se invicem per suas proximas formas, unde *Contraria* dicuntur, quæ duobus plura non sunt, quia licet unum à pluribus æquè separari possit, non potest tamen ferri in plura ita ut recto quasi intuitu vel facie ad faciem se invicem petant :

tant: neque proximis formis opponi possunt quæ pariter opponuntur aliis remotis.

CAPUT XIV.

De Relatis.

CONtraria sunt oppositа, quorum unum uni tantùm opponitur: súntque affirmantia, aut negantia. Affirmantia, quorum utrumque affirmat, ut relata & adversa. Relata, sunt contraria affirmantia; quorum alterum constat è mutua alterius affectione: atque inde nomina sunt relata: ut pater qui filium habet, & filius qui patrem habet. & ob hanc mutuam relationis causam, relata dicuntur simul esse natura, ut qui alterum perfectè norit, norit & reliquum. Pro Marc. Ex quo profectò intelligis, quanta in dato beneficio sit laus, cum in accepto tanta sit gloria. Martiales in Sosibianum lib. 1.

Tum servum scis te genitum, blandéque fateris,
Cùm dicis dominum, Sosibiane, patrem.

Sic apud Quintilianum lib. 5. cap. 10. Si portorium Rhodiis locare honestum est: & Hermacreonti, conducere. Quomodo & in Oratore perfecto Tullius. Num igitur est periculum (ait) ne quis putet in magna arte & gloriosa turpe esse docere alios id, quod ipsi fuerit honestum discere? Studium verò quoddam suum Cicero è relatis illis in Oratore prodidit. Jam illa (inquit) matura: uxor generi: noverca filii: filiæ pellex. Quod idem in ferreæ ætatis descriptione Ovidius appertius affectavit. 1 Metam.

---- Non hospes ab hospite tutus,
Non socer à genero, fratrum quoque gratia rara est.
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti:

Lurida

Lurida terribiles miſcent aconita novercæ :
Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Atqui argumentum talis relationis contrarium nihil habet, imò arguit mutuas cauſas : ut ſum tuus pater ; tu es igitur meus filius : at cùm dico, ſum tuus pater, non igitur ſum tuus filius, tum contraria verè ſunt.

DEMONSTRATIO.

34. Contraria eſt rei poſitio tum poſitioni alterius cum illo pugnantis, tum etiam ejuſdem rei negationi : illa ſunt *contraria affirmativa*, hæc *negativa*.

35. *Contraria affirmativa*, vel ita opponuntur inter ſe ut conſenſionem ſummam habeant diſſenſionis ſuæ quaſi fundamentum ſubſtratum, qua unum ad alterum refertur : vel purè & directè pugnant unum adverſus alterum : illa dicuntur *relata*, hæc *adverſa*.

36. *Relata* cum ita conſiderantur ut oppoſitionis lex (de attributione *eidem*, &c.) obſervetur, tum ſunt contraria propter contrarium utrinque ſitum ; cum verò conſiderantur ut duæ res inter ſe mutuo affectæ, tunc maximum habent conſenſum, ut mutuam coexiſtentiam cauſantia.

37. Tota natura unius relati (qua talis) fluit ab affectione alternante qua ſpectat alterum & ab illo ſpectatur, ita ut unum alterius (per mutuas quaſi viciſſitudines) cauſa ſit & effectum. Duæ ſunt enim partes omnis relationis ; quarum una fluit ab uno termino, & altera ab altero, ac in oppoſitum fertur, ex quibus una affectio mutua coaleſcit.

38. In *relatis* igitur quoad ipſam affectionem alternantem totam non eſt prius & poſterius, ſed ſimul ſunt natura : quia unum non magis alterius eſt cauſa vel effectum, quàm alterum eſt ejus.

39. Quoniam vero eſſentia unius fluit ab altero,

non

non tantum æquè manifesta sunt, ut omnia *Dissentanea*; sed etiam ut causæ ratio postulat, scientia unius oritur semper ex alterius cognitione.

Caput XV.

De Adversis.

ADversa sunt contraria affirmantia, quæ inter se velut e regione perpetuò adversantur. Æneid. 11.

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.

Sic albor & nigror, calidum & frigidum, virtus & vitium opponuntur. Parad. 1. contra Epicureos: Illud tamen arctè tenent, accuratéque defendunt, voluptatem esse summum bonum: quæ quidem mihi vox pecudum videtur, non hominum. Tu cùm tibi sive Deus, sive mater (ut ita dicam) rerum omnium natura dederit animum, quo nihil est præstantius, neque divinius: sic te ipse abjicies ac prosternes, ut nihil inter te atque inter quadrupedem interesse putes? Pecudem & hominem adversa Cicero oppositit: voluptas pecudis bonum est, non igitur hominis. Sic libertas & servitus, apud Tibullum 2. lib.

Sic mihi servitium video dominumque paratam,
Tu mihi libertas illa paterna vale.

Pro Marc. Nunquam enim temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur.

DEMONSTRATIO.

40. *Adversa* nullam consentaneam affectionem habent admixtam (ut *relata*) sed perpetuo pugnant quocunque

cunque modo considerantur: idque in linea directa quasi ex diametro.

41. *Adversa* omnia (qua talia) sunt immediata. Cum enim opponuntur mediis, non sunt *adversa* sed *disparata*. Virtus media opponitur adverse generi vitiorum extremorum, sive nominato sive innominato: extremis ipsis tantum disparaté. Sic liberalitas adversatur illiberalitati sumptæ generatim, avaritiæ autem & effusioni speciatim consideratis opponitur tantum disparaté.

Caput XVI.

De Contradicentibus.

Contraria negantia sunt, quorum alterum ait: alterum negat idem: eaq; sunt contradicentia, aut privantia. Contradicentia sunt contraria negantia, quorum alterum negat ubique: ut justus non justus, animal non animal, est non est, sunt contradicentia. Sic in defensione Murenæ contradicitur sententiis Catonis & Ciceronis, illius Stoici hujus Academici. Dialogus est in his verbis, Nihil ignoveris: imò aliquid, non, omnia. Nihil gratiæ causa feceris: imò nè resistito gratiæ, cùm officium & fides postulabit. Misericordia commotus nè sis severitate sed tamen est etiam in dissolvenda aliqua laus humanitatis. In sententia permaneto: enimverò nisi sententia alia vicerit melior. Martialis lib. 1.

Bella es, novimus: & puella, verum est:
Et dives, quis enim potest negare?
Sed dum te nimium, Fabulla, laudas:
Nec dives, neque bella, nec puella es.

Cicero 1. Tusc. cogit hoc argumento Atticum Epi-

Epicurcum fateri mortuos miseros non esse, si omnino nulli sint, ut Epicurei credebant. Jam mallem (ait) Cerberum metueres, quam ista tam inconsiderate diceres. Atticus. Quid tandem? Marcus. Quem esse negas, eundem esse dicis: ubi est acumen tuum? cum enim miserum esse dicis, tum eum qui non sit, esse dicis. Tum post longam disputationem Atticus ait, Age, jam concedo non esse miseros qui mortui sunt: quoniam extorsisti, ut faterer, qui omnino non essent, eos nè miseros quidem esse. Sic Terentianus Phædria Dori Eunuchi dictum elevat, quòd affirmasset prius, quæ post inficiaretur:

Modò ait, modò negat.

CAPUT XVII.

De Privantibus.

PRivantia sunt contraria negantia, quorum alterum negat in eo tantùm subjecto, in quo affirmatum suapte natura inest. Atque hìc affirmatum dicitur habitus, negatum autem privatio. Sic motus & quies. Sic ebrius & sobrius. Martial. lib. 3.

Ebrius es: nec enim faceres hæc sobrius unquam.

Sic cæcum esse & videre. Pro Cælio: Existat igitur ex hac familia aliquis, ac potissimùm cæcus ille: minimum enim dolorem capiet, qui istum non videbit. Sic pauper & dives opponuntur apud Martialem lib. 5.

Semper eris pauper, si pauper es, Æmiliane:
Dantur opes nullis nunc, nisi divitibus.

Talia sunt mors & vita in Miloniana: Hujus mortis sedetis ultores, cujus vitam, si putetis per vos restitui posse, nolitis? Item tacere & loqui. 1. Catil.

Quid

Quid expectas authoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perspicis? Pro Marc. Doleo cùm resp. immortalis esse debeat, eam in unius mortalis anima consistere. Sed dissentaneorum categoria sic est, unde quidvis ab altero differre quolibet modo possit.

DEMONSTRATIO.

42. In *contrariis negantibus* non sunt duæ res positæ, ut in *affirmantibus*, sed affirmatio & negatio unius ac ejusdem.

43. Hæc autem negatio vel est infinita quæ negat illam rem ubique, ac potest affirmari de qualibet alia re præter illam quam negat, & tum sunt *contradicentia*: vel negat eam tantum in illo subjecto, in quo per naturam potest inesse, & tum sunt *privantia*; unde sequitur *privantia* maximè omnium dissentire: quia privatio tollit rem cum inimicitiâ tam adversâ, ut nihil aliud in ejus locum relinquat, quod contradictio non facit.

44. Ut ad *consentanea* omnes modi identitatis, sic ad ista *dissentanea* simplices omnes differentiæ modi debent referri.

45. Res ex causis existentes adjunctis ornatæ, & à cæteris rebus disjunctæ, inter se committi solent, ut eorum æstimatio fiat secundum aliquod tertium in quo consentiunt vel dissentiunt: unde *comparata* dicuntur, & res ipsæ, & rationes illæ in quibus conferuntur.

CA-

CAPUT XVIII.

De Paribus.

ARgumenta ſimplicia ita fuerunt in conſentaneis & diſſentaneis: comparata ſunt, quæ inter ſe comparantur, quæ tametſi ipſa comparationis natura æque nota ſint, attamen alterum altero alicui notius & illuſtrius eſſe poteſt: ſæpéque notis breviùs indicantur, aliquando partibus pleniùs diſtinguuntur: quæ propoſitio, redditióque nominantur: atque omnino comparata etiam ficta arguunt fidémque faciunt. Comparatio eſt in quantitate vel qualitate: Quantitas qua res comparatæ quantæ dicuntur. Eſtque parium vel imparium. Paria ſunt, quorum eſt una quantitas: Argumentum igitur paris eſt, cùm par explicatur à pari, ejúſque notæ ſunt par, æquale, æquare, idem, quod, tam, quàm, tanto, quanto, tot, quot, & non magis, non minus. Virgil. Æneid. 2.

--- Par levibus ventis.

Æne. 3. *Et nunc æquali tecum pubeſceret ævo.*

Æne. 6. *En hujus nate auſpiciis, illa inclyta Roma*
Imperium terris, animos æquabit olympo.

Propoſitio deinde redditióque diſtinguuntur, 4. Cat. Cujus res geſtæ atque virtutes iiſdem, quibus ſolis curſus, regionibus ac terminis continentur. Æneid. 4.

Tam ficti pravique tenax quàm nuntia veri.

Catull. *Tantò peſſimus omnium poëta,*
Quantò tu optimus omnium patronus.

Ovid. 5. Triſt.

Littora quot conchas, quot amœna roſaria flores,
Quſque ſoporiferum grana papaver habet,

Sylva

Sylva feras quot alit, quot piſcibus unda natatur,
Quot tenerum pennis aëra pulſat avis:
Tot premor adverſis: quæ ſi comprendere coner,
Icariæ numerum dicere coner aquæ.

9. Phil. Neque enim ille magis juris conſultus, quam juſtitiæ fuit: Itaque quæ proficiſcebantur à legibus & à jure civili, ſemper ad facilitatem æquitatemque referebat: neque conſtituere litium actiones malebat, quàm controverſias tollere. Ovid. 2. de Arte:

Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri.

Pro Mur. Paria cognoſco eſſe iſta in L. Muræna, atque ita paria, ut neque ipſe dignitate vinci potuerit, neque te dignitate ſuperarit. 2. Philip. Quorum facinus commune, cur non eorum præda communis? Ter. in Adel.

Quando ego non curo tuum, nè cura meum.

Hujus vero loci ſunt conſectaria illa è contrariis quidem orta, ſed parium collatione tractata, ut Martialis illud:

Tum ſervum ſcis te genitum, blandéque fateris,
Cùm dicis dominum, Soſibiane, parem.

Ovid. 1. Faſt.

In pretio pretium nunc eſt, dat cenſus honores,
Cenſus amicitias: pauper ubique jacet.

Ex adverſis ſunt frequentiora. Cic. pro Sylla: Neque verò quid mihi iraſcare, intelligere poſſum, ſi quòd eum defendo, quem tu accuſas, cur tibi quoque ipſe non ſuccenſeo, qui accuſes eum, quem ego defendo? Inimicum, inquis, accuſo meum: & amicum (inquam) ego defendo meum. Sic 5. Tuſc. Quod cùm fateantur ſatis magnam vim eſſe in vitiis ad miſeram vitam, nonne fatendum eſt eandem vim in virtute eſſe ad beatam vitam? Contraria enim contrariorum ſunt conſequentia. Sic interdum laceſſiti par pari reponimus, qualis eſt Ecl. 3. apud Virgilium conten-

contentio pastorum: Damœtæ, primò hoc ænigma proponentis,

Dic quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo)
Tres pateat cœli spatium, non amplius, ulnas.

Et Menalcæ alterum ænigma reponentis,

Dic quibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores, & Phyllida solus habeto.

Paria verò ficta sunt illa apud Æschinem Socraticum, quibus demonstrat Socrates cum Xenophontis uxore & cum Xenophonte ipso Aspasiam locutam. Dic mihi quæso, Xenophontis uxor, si vicina tua melius habeat aurum quam tu habes, utrum illius an tuum malis? Illius, inquit. Et si vestem, & cæterum ornamentum muliebre pretii majoris habeat, quam tu habes, tuámne an illius malis? Illius verò respondit. Age verò, si virum illa meliorem habeat, quàm tu habes, an illius malis? Hìc mulier erubuit. Aspasia autem cum ipso Xenophonte sermonem instituit: Quæso, inquit, si vicinus tuus meliorem equum habeat quàm tuus est, tuúmne equum malis an illius? Illius, inquit. Quod si meliorem fundum habeat, quàm tu habes, utrum tandem illius malis? Illius, inquit, meliorem scilicet. Quòd si uxorem meliorem habeat, quàm tu habes, utrum illius malis? Atq; hic Xenophon quoque ipse tacuit.

DEMONSTRATIO.

46. *Comparatorum* unum non est naturâ suâ notius altero (quæ *consentaneorum* est ratio) neque luminis æqualis quoad res ipsas *(ut omnia dissentanea)* nedum ut essentialis unius ratio pendeat ab alterius cognitione per alternationem æqualem (ut in *relatis*) sed comparationis vi quasi librâ æstimatio utriusque quoad rationem in qua comparantur æquè nota fit utrinque. Quamvis ex rerum naturâ ante explorata al-

terum altero alicui notius esse solet. Quemádmodum autem in rei pondere ac valore æstimando aliquando signum appositum vel impressum satis habetur, sæpe tamen ad bilancem vocatur, & ipsâ in una lance locatâ, opponitur in alterâ pondus idoneum ad librandum: sic se res habet in collatione rationum.

47. Duo igitur sunt modi comparationis, aliquando enim implicitè fit & sæpe per notam aliquam brevem, unam vel plures: aliquando explicatius in partibus disjunctis, quarum una *propositio* dicitur, argumentum ut plurimum complexa: altera *redditio* nominatur, rem argutam continens maxima ex parte; quamvis ea sit aliquando explicationis ratio ut *redditionis* nota tribuatur argumento, & *propositionis* rei argutæ, ut in illis *majorum* formis *non solum, sed etiam.*

48. Hoc etiam est proprium *comparatorum,* ut eorum unum si fingatur, non alterum tantum fictum arguat (quod omnium argumentorum commune est) sed & verum alterum.

49. Instituitur autem omnis comparatio vel in gradu seu mensurâ, quæ est *quantitas* logica, & tum est *paritas* vel *imparitas*; vel in ipsa natura terminorum, quæ est *qualitas* logica & tum est *similitudo* vel *dissimilitudo.*

CAPUT XIX.

De Majoribus.

IMparia sunt, quorum quantitas non est una.

Impar est majus aut minus. Majus est, cujus quantitas excedit. Propriæ notæ sunt hujus rationis: Non solùm,

solùm, sed etiam; Malo hoc, quam illud, Plusquam, item per comparationem Grammaticam. Cicero pro Muræna:

Tollitur è medio ----
non solùm ista verbosa simulatio prudentiæ, sed etiam illa domina rerum

---- *sapientia: vi geritur res:*

Spernitur orator ----
non solùm odiosus in dicendo, aut loquax, verùm etiam ---- *bonus, horridus miles amatur,*

Hinc sumitur logica quædam gradatio, climaci rhetorico interdum conjuncta. Pro Milone: Neque verò se populo solùm, sed etiam Senatui tradidit: neque Senatui modò, sed etiam publicis præsidiis & armis: neque his tantùm, verumetiam ejus potestati cui Senatus totam Rempub. omnem Italiæ pubem, cuncta populi Romani arma commiserat. Juvenalis Satyr. 8. adversus glorioſum nobilem:

Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Æacidæ similis, Vulcaniáque arma capessas,
Quàm te Thersitæ similem producat Achilles.

Pro Marc. Plus admirationis habitura quàm gloriæ. Æneid. 1.

O socii (neque enim ignari sumus antè malorum)
O passi graviora: dabit Deus his quoque finem:

Cic. pro Mur. Noli tam esse injustus, ut cùm tui fontes vel inimicis tuis pateant, nostros rivulos etiam amicis putes clausos esse oportere. Hinc illa gradatio est sine climace rhetorico apud Terent.

Thr. *Magnas verò agere gratias Thaïs mihi?*

Gn. *Ingentes.* Thr. *Ain tu? Læta est?* Gn. *Non tam ipso quidem Dono, quàm abs te datum esse. Id verò serio Triumphat.*

Ficta vero majora etiam plurimum valent. Terent. Heaut. *Satrapes si sit*
Amator, nunquam sufferre ejus sumptus queat,

Nedum tu poſſis. 5. Æneid.

Magnanime Ænea, non ſi mihi Jupiter author
Spondeat, hoc ſperem Italiam contingere cælo:
Mutati tranſverſa fremunt, & veſpere ab atro
Conſurgunt venti, atque in nubem cogitur aer.
Nec nos obniti contrà, nec tendere tantum
Sufficimus.

CAPUT XX.

De Minoribus.

MInus eſt, cujus quantitas exceditur: Minus autem ſæpe indicatur propriis notis, ut non ſolùm, ſed nè: potius hoc quàm illud: cum, tum: item per Grammaticam comparationem: denique per negationem parium. Cic. 2. Catil. Nemo non modò Romæ, ſed nè ullo in angulo totius Italiæ oppreſſus ære alieno fuit, quem non ad hoc incredibile ſceleris fœdus aſciverit. 1. Catil. ut exul potiùs tentare, quam conſul vexare Remp. poſſis. 2. Agr. Quæ cùm omnibus eſt difficilis & mala ratio, tum verò mihi præter cæteros.

Ovid. 3. de Triſt.

Sævior es triſti Buſiride, ſævior illo
Qui falſum lento torruit igne bovem.

Ovid. 1. Remed.

Ut corpus redimas, ferrum patieris & ignes;
Arida nec ſitiens ora levabis aqua.
Ut valeas animo quicquam tolerare negabis:
At pretium pars hæc corpore majus habet.

Atque hujus ejuſdem ſpeciei ſunt hæ formulæ, quæ fiunt negatione parium. Philippica 9. Omnes ex omni ætate qui in hac civitate intelligentiam juris habuerunt, ſi unum in locum conferantur, cum Servio

vio Sulpitio non ſunt conferendi. Cat. 2. Quanquam illi qui Catilinam Maſſiliam ire dictitant, non tam hæc queruntur quàm verentur. Pro Muræna: Quod enim fretum, quem Euripum tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum: quantas perturbationes & quantos æſtus habet ratio comitiorum? Aliquando nota nulla eſt. Pro Marcel. Tantum abes à perfectione maximorum operum, ut fundamenta, quæ cogitas, nondum jeceris. Pro Archia: Saxa & ſolitudines voci reſpondent: beſtiæ ſæpe immanes cantu flectuntur atque conſiſtunt: nos inſtituti rebus optimis non poëtarum voce moveamur? 7. Ver. Gradatio illa eſt à minoribus. Facinus eſt vincire civem Rom. ſcelus, verberare: propè Parricidium, necare: quid dicam in crucem tollere? Finguntur etiam minora. Virgil. Ecl. 1.

Antè leves ergo paſcentur in æthere cervi,
Et freta deſtituent nudos in littore piſces:
Antè pererratis amborum finibus, exul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,
Quàm noſtro illius labatur pectore vultus.

2. Philip. O rem non modò viſu fœdam, ſed etiam auditu: Si inter cœnam in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidiſſet, quis non turpe duceret? In cœtu verò populi Rom. negotium publicum gerens, magiſter equitum, cui ructare turpe eſſet, is vomens fruſtis eſculentis vinum redolentibus gremium ſuum & totum tribunal implevit.

DEMONSTRATIO.

50. *Paria* ſunt, quæ una menſura ſive reali, ſive mente concepta menſurantur: ita ut æquilibrium faciant inter pendendum.

51. Si ad unam menſuram non conveniant, tum

ſunt *imparia*: illud cujus menſura excedit *majus*, & cujus exceditur *minus*.

CAPUT XXI.

De Similibus.

ADhuc comparatio in quantitate fuit, ſequitur comparatio in qualitate, qua res comparatæ quales dicuntur: nempe ſimiles aut diſſimiles. Similia ſunt, quorum eſt eadem qualitas: ſimilitudo proportio dicitur, ut ſimilia proportionalia. Notæ ſimilitudinis quæ uno verbo concluditur, ſunt, Similis, Effigies, More, Inſtar, Tanquam, Sicuti: tum negatio diſſimilitudinis, Haud ſecus, non aliter. 1. Æneid.

Os humeróſque Deo ſimilis ---

9. Philip. Quanquam nullum monumentum clarius Servius Sulpicius relinquere potuit, quam effigiem morum ſuorum, virtutis, conſtantiæ, pietatis, ingenii, filium. 1. Triſt.

Namque ea vel nemo, vel qui mihi vulnera fecit,
Solus Achilleo tollere more poteſt.

In Piſ. Unus ille dies mihi quidem inſtar immortalitatis fuit, quo in patriam redii. Verr. 1. Sed repente è veſtigio ex homine, tanquam aliquo poculo Circæo, factus eſt verres. Pro Pompeio, Itaque omnes quidem nunc in his locis Cn. Pompeium ſicut aliquem non ex hac urbe miſſum, ſed de cœlo delapſum intuentur. 3. Æneid.

Haud ſecus ac juſſi, faciunt. ---

Terentius in Phor.

Ego iſti nihilo ſum aliter, ac fui.

Similitudinis partes deinceps explicantur, & quidem disjunctè vel continuè. Similitudo disjuncta eſt,

est, quando termini quatuor reipsa distinguuntur. Eclog. 5.

Tale tuum carmen nobis divine poëta,
Quale sopor fessis in gramine.

Carmen ad auditorem, ut sopor ad fessum, termini quatuor distincti sunt. Ad Frat. 1. Quemadmodum gubernatores optimi vim tempestatis: sic sapientissimi viri, fortunæ impetum perfæpe superare non possunt. Hic quatuor sunt item termini, ut gubernator ad tempestatem, sic sapiens ad fortunam. 1. Trist.

Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum:
Tempore sic duro est inspicienda fides.

Cicer. 2. Phil. Sed nimirum ut quidam morbo & sensus stupore, suavitatem cibi non sentiunt; sic libidinosi, avari, facinorosi, veræ laudis gustum non habent. Virgilius fecerat hos versus:

Nocte pluit tota, redeunt spectacula manè:
Divisum imperium cum Jove Cæsar habet.

Bathyllus arrogaverat sibi, præmiumque magnum erat adeptus. His igitur similibus Bathyllum Virgilius lusit:

Hos ego versiculos feci, tulit alter honores.
Sic vos non vobis nidificatis aves;
Sic vos non vobis mellificatis apes:
Sic vos non vobis vellera fertis oves:
Sic vos non vobis fertis aratra boves.

Aliquando nulla prorsus est nota. Virgil. Ecl. 2.

O formose puer, nimium nè credc colori:
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Continua similitudo est, quando est ut primus terminus ad secundum, sic secundus ad tertium. 3. Leg. Videtisne magistratus hanc esse vim, ut præsit, præscribat recta & utilia & conjuncta cum legibus? ut enim magistratibus leges, ita populo præsunt magistratus. Hic termini sunt tres: lex, magistratus, populus.

Ficta ſimilitudo parem vim habet ſuperioribus illis, ſed præcipuè in hac explicata ſimilitudine Æſopici apologi excellunt. Horat. 1. Epiſt.

Quòd ſi me populus Romanus fortè roget, cur
Non, ut porticibus, ſic judiciis fruar iiſdem,
Nec ſequar, aut fugiam quæ diligit ipſe, vel odit:
Olim quod vulpes ægroto cauta leoni
Reſpondit, referam: quia me veſtigia terrent.
Omnia te adverſum ſpectantia, nulla retrorſum.

DEMONSTRATIO.

52. *Similia* ſunt quæ eandem habent naturam, vel eſſentialem vel adjunctam. Quoniam vero eadem natura propriè non poteſt eſſe duplex, vel ſimul in duabus rebus, idcirco hæc identitas eſt in *proportione* tantum, qua una res habet illam naturæ rationem pro ſua portione, & altera etiam pro ſua.

53. In explicata ſimilitudine termini aliquando quatuor ſunt re ipſa diſtincti, & tum ſimilitudo *disjuncta* dicitur: aliquando vero non re ſed ratione tantum ſunt quatuor diſtincti, & tum *continua* nominatur, quia proportio continuatur per repetitionem ſecundi.

CAPUT XXII.

De Diſſimilibus.

DIſſimilia ſunt comparata, quorum qualitas eſt diverſa. Diſſimilitudinis propriæ notæ ſunt diſſimile, diſpar, differens, aliud, ſecus. pro Planc. Quanquam diſſimilis eſt debitio pecuniæ & gratiæ. Ennius.

O do-

O domus antiqua, heu quàm dispari dominare domino!

Cæsar 1. bel. Gall. Hi omnes linguâ, institutis, legibus inter se differunt. 2. Agrar. Alio vultu, alio vocis sono, alio incessu esse meditabatur. Cicer. 2. Nat. Quoniam cœpi secus agere atque initio dixeram. Dissimilitudinis notæ etiam sunt per negationem similium. 3. de Orat. Non est philosophia similis artium reliquarum 2. Æneid.

At non ille, satum quo te mentiris, Achilles,
Talis in hoste fuit Priamo.---

Horat. 1. Epist.

Non eadem est ætas, non mens.---

Cic. 1. ad Frat. Sit annulus tuus, non tanquam vas aliquod, sed tanquam ipse tu. 3. Phil. Certus dies non ut sacrificii, sic consilii expectari solet. Hoc argumento pastor ille errorem suum confitetur.

Urbem quam dicunt Romam Melibœe, putavi
Stultus ego, huic nostræ similem,--- Et mox:
Sic canibus catulos similes, sic matribus hœdos
Noram, sic parvis componere magna solebam.

Ut nec canibus catuli, nec matribus hœdi, sic nec Mantua Romæ similis est. Nota plerunque nulla est, & dissimilitudo plenius explicatur. Quintil. lib. 5. c. 11. Brutus occidit liberos proditionem molientes, Manlius virtutem filii morte mulctavit. Catullus:

Soles occidere & redire possunt:
Nobis cùm semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda.

DEMONSTRATIO.

54. Quorum natura non est eadem in proportione, sed diversa, illa sunt *dissimilia*. Eædem igitur res quæ abso-

absolutè consideratæ sunt *diversa*, comparatè spectatæ sunt *dissimilia*.

CAPUT XXIII.

De Conjugatis.

HActenus prima argumenta sunt expositа: sequuntur orta de primis, quæ perinde sunt ad id quod arguunt, sicut prima unde oriuntur: ut conjugata & notatio: distributio & definitio. Conjugata sunt nomina ab eodem principio variè deducta, ut justitia, justus, justè. In conjugatis symbolum est consentaneorum argumentorum. Propertius lib. 2.

Libertas quoniam nulli jam restat amanti,
Nullus liber erit, si quis amare velit.

Hic libertas causa est, cur sis lib. Cic. 3. de Nat. Deorum, cùm de Dionysio Tyranno loquitur: Jam mensas argenteas de omnibus delubris jussit auferri, in quibus quod more veteris Græciæ inscriptum esset, BONORUM DEORUM, uti eorum bonitate velle se dicebat. Dii boni sunt: eorum igitur bonitate est utendum. Hic ex effectis ad causas est disputatum. Terent.

Homo sum, humani à me nihil alienum puto.

Ex subjecto est ad adjunctum. Contrà Phil. 2. Non tractabo ut Consulem, nè ille quidem me ut Consularem. In Pison. Cùm esset omnis illa causa Consularis & Senatoria, auxilio mihi opus fuerat & Consulis & Senatus.

DEMONSTRATIO.

55. *Orta* ex *primis* tanquam ex radicibus exurgunt: qui-

quibuſcum etiam eandem vim habent arguendi, ſed ſecundariò & ſymbolicè, id eſt comprehenſivè & notarum inſtar.

56. Horum autem alia ſimplicem habent ortum, ex uno aliquo *primo* ut *Conjugata* & *Notatio*: alia compoſitum ex plurium combinatione, ut *Diſtributio* & *Definitio*.

57. In *conjugatis* eſt deductio nominum quæ eodem jugo vel nexu continentur: quorum unum comprehendit naturam abſolutam vel abſtractam, aliud naturam dependentem vel concretam, & tertium naturam activam, una cum ejus modo à prioribus fluente.

Caput XXIV.

De Notatione.

Notatio eſt nominis interpretatio: nomina ſiquidem ſunt notæ rerum, nominúmque vel derivatorum, vel compoſitorum, ſi vera notatione fiant, ratio reddi poteſt ex aliquo argumento primo: ut homo ab humo. Ovid. 6. Faſtor.

Stat vi terra ſua, vi ſtando Veſta vocatur,
Ex cauſa eſt notatio.

At focus à flammis, & quòd fovet omnia, dictus,
Ex effectis eſt notatio.

Item 4. Ver. O Verrea præclara! Quò enim acceſſiſti, quò non attuleris tecum iſtum diem? Etenim quam tu domum, quam urbem adiiſti, quod fanum denique, quod non everſum atque exterſum reliqueris? Quare appellentur ſanè iſta Verrea, quæ non ex nomine, ſed ex moribus naturáque tua conſtituta eſſe videantur. Ex effectis item eſt notatio. Ovid. 1. Faſt.

Prima

Prima dies tibi Carna datur, dea cardinis hæc est:
Nomine clausa aperit, claudit aperta suo.

Hic est notatio è subjecto cardine, circa quem numen deæ exercetur. At ex adjunctis notatio est Bambalionis. 2. Philip. quia balbus & stupidus: hinc igitur cavillatio in Antonium generum: Tuæ conjugis, bonæ fœminæ, locupletis quidem certè, Bambalio quidam pater, homo nullo numero, nihil illo contemptius: qui propter hæsitantiam linguæ stuporémque cordis cognomen ex contumelia traxerit. Ex adjunctis est notatio. E dissentaneis autem sunt illa apud Quintilianum libro primo, capite sexto: Lucus, quia umbra opacus, parum luceat, & Ludus, quia sit longissimè à lusu: & Dis, quia minimè dives. Potest etiam è comparatis esse notatio: ut Pyropus, quòd ignis flammam imitetur. Est verò ut notationi ad suum nomen, sic nomini ad notationem sua affectio: ut Animi plenus, ergo animosus: & contra, Animosus, ergo animi plenus.

DEMONSTRATIO.

58. In *notatione* ratio redditur cur talis res tali notâ designetur.

CAPUT XXV.

De Distributione.

RElíquum est ex ortis aliunde argumentis argumentum distributionis & definitionis: in quarum utraq; affectio reciprocationis est, illic partium omnium cum toto, hic definitionis cum definito. Distributio est, cùm totum in partes distribuitur. Totum est, quod

quod continet partes. Pars est, quæ continetur à toto. Atque ut distinctio totius in partes, Distributio: sic collectio partium ad constituendum totum, Inductio dicitur.

Distributio sumitur ex argumentis toti quidem consentaneis, inter se autem dissentaneis. Itaque tanto accuratior erit, quanto partium & cum toto consensio, & inter se dissensio major fuerit.

DEMONSTRATIO.

59. Sequuntur illa *orta* quæ comprehendunt *prima* magis tectè, magísque composita ratione, ita tamen necessaria ut constituant perpetuam *reciprocationem*, non axiomaticæ tantum veritatis, quam sapientiæ lex in omnibus præceptis artium requirit; nec mutuæ solum relationis qualis reperitur in omni argumentorum pari; sed communis essentiæ quæ est harum rationum propria, quæ realem rerum naturam notat.

60. Cujusvis autem rei natura spectatur vel ut communis est pluribus, vel ut in sese consistit ab aliis remota: illa docetur in *distributione*, hæc in *definitione*: illa enim tributionem indicat communem, hæc fines seu finitionem statuit propriam.

61. *Distributio* duo continet, videlicet commune aliquid unde *totum* & commune pluribus, unde *partes*. *Totum* continet *partes* communitate unius formæ: partes divisim consideratæ distinguunt totum (quæ propriè dicitur *distributio*) & collectivè sumptæ constituunt totum, quæ est *inductio*.

62. Necesse autè est ut *partes* consentiant in eo quod commune habent, & dissentiant vel differant in eo quod sunt plura, unde est quod partes consentire debent cum toto, inter se autem dissentire, & quo magis hoc fit, eo fit accuratior *distributio*, maximè autem consentiunt cum proximo toto, & sub eo maximè dissentiunt

per

per contrarietatem ; quæ propria est ratio principatus illius, quem Dichotomia obtinet in distribuendo.

CAPUT XXVI.

De distributione ex causis.

DIstributio prima est ex absolutè consentaneis, causis nempe & effectis. Distributio ex causis est, quando partes sunt causæ totius. Hìc distributio integri in sua membra præcipuè laudatur. Integrum est totum, cui partes sunt essentiales : Membrum est pars integri. Sic Grammatica in etymologiam & syntaxim, Rhetorica in elocutionem & actionem, Dialectica in inventionem & judicium dividitur. Ab his enim partibus artes illæ constituuntur. Hæc distributio principalis est, cùm rei longioris explicatio suscipitur. 1. Georg.

Quid faciat lætas segetes, quo sidere terram
Vertere (Mæcenas) ulmisque adjungere vites
Conveniat : quæ cura boum, quis cultus habendo
Sit pecori, atque apibus quanta experientia parcis
Hinc canere incipiam.——

Cic. pro Mur. Intelligo (judices) tres totius accusationis partes fuisse : & earum unam in reprehensione vitæ, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus esse versatam. Quinetiam aliter tractatur hoc argumenti genus, vel a partibus ad totum, vel à toto ad partes. Catul.

Quintia formosa est multis : mihi candida, longa,
Recta est ; hæc ego sic singula confiteor :
Totum illud, formosa, nego : nam nulla venustas,
Nulla in tam magno est corpore mica salis.

Lesbia

Lesbia formosa est: quæ cùm pulcherrima tota est,
Tum omnibus una omnes surripuit Veneres.

DEMONSTRATIO.

63. Pendet natura *distributionis* magis ex affectione *partium* ad *totum*, quam ex illa quam habent inter se: atque adeo non ex *dissentaneis*, sed ex *consentaneis* distinctiones *distributionis* petuntur.

64. Quando igitur plures causæ distinguuntur inter se in affectione ad unum effectum, vel plura effecta in affectione ad unam causam, vel plura subjecta in affectione ad unum adjunctum, vel plura adjuncta in affectione ad unum subjectum, tum pro ratione illarum distinctarum rerum distributio dicitur esse ex *Causis, Effectis, Subjectis, Adjunctis.*

65. Quia vero essentialis consensio est propriè inter causam & effectum, & in eo genere excellunt istæ distributiones quæ sunt *integri* in *membra*, aut *generis* in *species*, in illis igitur solis exquisita ratio totius & partium apparet.

66. In *distributione integri in membra*, membra sunt causæ singulares, tectæ, ac inter se compactæ, ac in unum redactæ, sed ita ut actu contineantur ab integro cui dant essentiam, & in quo existunt. materia igitur & forma *integri* conflatur ex materiâ & formâ omnium *membrorum.*

A-

CAPUT XXVII.

De distributione ex effectis, ubi de genere & specie.

DIstributio ex effectis, est quando partes sunt effecta: ut, in navi nautæ alii malos scandunt, alii per foros cursitant, alii sentinam exhauriunt, gubernator autem clavum tenet in puppi. Distributio generis in species hic excellit. Genus est totum partibus essentiale: Species, est pars generis. Sic animal genus hominis & bestiæ dicimus. Animal enim est totum, cujus essentia, nempe substantia corporea, animata, sentiens, ad bestiam & hominem communiter attinet. Sic dicimus hominem & bestiam species animalis, quia partes sunt animali subjectæ, quæ animalis essentiam communem habent. Sic dicimus hominem, genus hominum singulorum: & leonem, singulorum leonum: contrà verò singulos homines, species hominis: singulos leones, leonis. Genus, est generalissimum, aut subalternum: Species, subalterna aut specialissima. Genus generalissimum, cujus nullum est genus: ut in Logica inventione, argumentum est genus generalissimum artificialium & inartificialium.

Subalternum genus, ut subalterna item species, quod species hujus, illius autem genus est: ut causa, species est argumenti absolutè consentanei, genus materiæ & formæ. Species specialissima, quæ est individua in speciebus alias, ut materia & forma singulares. Genus verò & species notæ sunt causarum & effectorum: ut in animali est essentia corporea, quæ materia est ad species communiter attinens; tum facultas vitæ & sensus, quæ forma item communiter

ad

ad ſpecies ſpectat. Quare genus continet cauſas, quæ communiter ad ipſius ſpecies attinent: contra itaque etiam ſpecies effecta generis ſui continent. Hinc univerſale eſt inſigne ac præſtabile, quia cauſam declarat. Diſtributio generis in ſpecies valde quidem excellit, ſed difficilis eſt & rara inventu. Attamen illuſtrationis & exempli gratia afteremus, quod poterimus. Ovid. 1. Metamorph. dividit animal in quinque ſpecies, ſtellas, aves, beſtias, piſces, homines: ſtellis animam tribuit; ut etiam philoſophi tribuêre:

Neu regio foret ulla ſuis animalibus orba,
Aſtra tenent cœleſte ſolum, formæque deorum:
Ceſſerunt nitidis habitandæ piſcibus undæ:
Terra feras cepit, volucres agitabilis aer.
Sanctius his animal mentiſque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet;
Natus homo eſt.----

Sic Cicer. 1. Offic. Virtutem dividit in ſpecies quatuor, prudentiam, juſtitiam, fortitudine, temperantiam. Sed omne, quod honeſtum eſt, id quatuor partium oritur ex aliqua: aut enim in perſpicientia veri ſolertiaque verſatur, aut in ſocietate hominum tuenda, tribuandóque ſuum unicuique, & rerum contractarum fide, aut in animi excelſi atque invicti magnitudine ac robore, aut in omnibus quæ fiunt, quæque dicuntur, ordine & modo, in quo ineſt modeſtia & temperantia.

Diſtributio generis in formas ſpecierum eadem eſt, quia formæ cum genere conſtituunt ſuas ſpecies: ut animalium aliud loquens, aliud mutum. Genus & ſpecies non ſolùm tractantur hac ſimplici diviſionis formula, ſed etiam ſeparatim alterum ex altero. Pro Archia, Ac nè quis à nobis hoc ità dici fortè miretur, quòd alia quædam in hoc facultas ſit ingenii, atq; hæc dicendi ratio aut diſciplina: nec nos quidem huic

cuncti ſtudio peritus unquam dediti fuimus. Etenim omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, & quaſi cognatione quadam inter ſe continentur. Ars eſt genus, poëtica & eloquentia ſunt ſpecies. Contra genus tractatur per ſpecies: ut 4. de Triſt.

Materiámque tuis triſtem virtutibus imple.
Ardua per præceps gloria vadit iter.
Hectora quis noſſet, ſelix ſi Troja fuiſſet?
Publica virtutis per mala facta via eſt.
Ars tua, Tiphy, acet, ſi non ſit in æquore fluctus:
Si valeant homines, ars tua, Phœbe, jacet.
Quæ latet, inque bonis cæſſat non cognita rebus,
Appáret virtus, arguiturque malis.

Exempla igitur ſpecialia ſuo generi accommodata ſunt hujus loci. 7. ad Attic. Urbem tu relinquas? ergo idem ſi Galli venirent? Non eſt (inquit) in parietibus Reſpublica, at in aris & focis. Fecit idem Themiſtocles: fluctum enim totius barbariæ ferre urbs una non poterat. At idem Pericles non fecit, annum ferè poſt quinquageſimum, cùm præter mœnia nil teneret: noſtri olim urbe reliqua capta, arcem tamen retinuerunt.

CAPUT XXVIII.

De Diſtributione è ſubjectis.

RElIqua diſtributio eſt quodammodo conſentaneorum, ut ſubjectorum & adjunctorum. Diſtributio è ſubjectis eſt, cum partes ſunt ſubjecta, ut Apud Catul.

Virginitas non tota tua eſt: ex parte parentum eſt:
Tertia pars matri data, pars data tertia patri:

Tertia

Tertia sola tua est : noli pugnare duobus,
Qui genero sua jura simul cum dote dederunt.

Sic Cic. 5. Tusc. Sint enim tria genera bonorum, ut jam à laqueis Stoicorum ? quibus usum me pluribus quàm soleo, intelligo, recedamus. Sint sanè illa genera bonorum, dum corporis & externa jaceant humi, & tantummodo quia sumenda sunt, appellentur bona. Alia autem divina illa longè lateque se pandant, cœlúmque contingant, ut ea qui adeptus sit, cur eum beatum modò & non beatissimum dixerim ?

CAPUT XXIX.

De distributione ex adjunctis.

DIstributio ex adjunctis est, quando partes sunt adjuncta : ut hominum alii sani, alii ægri, alii divites, alii pauperes. Sic Virgil. 1. Georgic. mundum dividit in quinque partes, mediam torridam, duas extremas frigidas, & reliquas duas temperatas :

Quinque tenent cœlum zonæ, quarum una coruscô
Semper sole rubens, & torrida semper ab igni :
Quam circum extremæ dextra lævaque trahuntur,
Cærulea glacie concretæ, atque imbribus atris :
Has inter mediámque duæ mortalibus ægris
Munere concessæ divûm.----

Cæsar 1. belli Gal. Gallia est omnis divisa in partes tres, quarum unam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam qui ipsorum lingua Celtæ nostra Galli appellantur.

DEMONSTRATIO.

67. In *distributione generis in species, genus* est nota causarum essentialium communium. Existit igitur in singulis *speciebus* dans illis essentiam, & in omnibus communicans illis eandem essentiam. Tota igitur essentia *generis* est in singulis *speciebus*, sed tota communitas vel totum genus proprie non nisi in cunctis.

68. Nota causarum communium primarum est *genus generalissimum*, nihil enim habet prius, mediarum nota est *subalternum genus*: specierum eadem est ratio, nam nota effecti medii est *species subalterna*, infimi vero est *infima* vel *specialissima*.

CAPUT XXX.

De Definitione.

DEfinitio est cum explicatur quid res sit, eáque vicissim definito argui potest. Definitio est perfecta aut imperfecta: illa, proprie definitio; hæc, descriptio dicitur. Definitio perfecta, est definitio constans è solis causis essentiam constituentibus; quales causæ genere & forma comprehenduntur. Atque hoc modo definitur homo, animal rationale: nempe genere (animal) intelligimus (ut dictum est) essentiam corpoream plenam vitæ & sensus, quæ materies hominis est, & pars formæ: cum qua si addas (rationale) totam formam hominis comprehendes, vitæ, sensus, rationis facultate. Itaque perfecta definitio nihil aliud est, quam universale symbolum causarum, essentiam rei & naturam constituentium. Tales definitio-

nitiones sunt artium; Grammatica est ars benè loquendi: Rhetorica benè dicendi: Dialectica benè differendi: Arithmetica benè numerandi: Geometria benè metiendi.

CAPUT XXXI.

De Descriptione.

DEscriptio est definitio ex aliis etiam argumentis rem definiens: ut Homo est animal mortale, capax disciplinæ. Hic cum aliqua causa miscetur communis, itémque propria circumstantia. Atq; hæc succincta brevitas non est in hac specie perpetua, sed sæpe illustriorem & magnificentiorem explicationem desiderat. Sic gloria describitur in Miloniana: Sed tamen ex omnibus præmiis virtutis, si esset habenda ratio præmiorum, amplissimum esse præmium, gloriam: hanc unam, quæ brevitatem vitæ, posteritatis memoria consolaretur, quæ efficeret ut absentes adessemus, mortui viveremus: hanc denique esse, cujus gradibus etiam homines in cœlum videantur ascendere. Sic 4. Æneid. Fama describitur:

Extemplò Libyæ magnas it fama per urbes,
Fama malum, quo non aliud velocius ullum:
Mobilitate viget, virésque acquirit eundo.
Parva metu primo, mox sese attollit in auras,
Ingreditúrque solo, & caput inter nubila condit.
Illam terra parens ira irritata Deorum
Extremam (ut perhibent) Cœo Enceladóque sororem
Progenuit pedibus celerem, & pernicibus alis:
Monstrum horrendum, ingens, cui quot sunt corpore plu-
Tot vigiles oculi subter (mirabile dictu) (ræ,
Tot linguæ, totidem ora sonant, tot subrigit aures:

Nocte volat cœli medio, terræque per umbram
Stridens, nec dulci declinat lumina somno:
Luce sedet custos, aut summi culmine tecti,
Turribus aut altis, & magnas territat urbes:
Tam ficti pravique tenax, quàm nuntia veri.

Tales sunt descriptiones plantarum, animalium in Physicis: item fluminum, montium, urbium in Geographicis & Historicis.

CAPUT XXXII.

De Testimonio divino.

EXposito artificiali argumento, sequitur inartificiale. Argumentum inartificiale est, quod non sua natura, sed assumpta artificialis alicujus argumenti vi arguit: Itaque cùm exquisita rerum veritas subtilius exquiritur, per exiguam vim probationis habet. In civilibus autem & humanis rebus plerumque hoc argumentum præcipuam fidem è moribus arguentis efficit, si prudentia, virtus & benevolentia adfuerint. Id uno nomine testimonium dicitur: éstq; divinum vel humanum. In divinis testimoniis numerantur non solùm Deorum oracula, sed etiam responsa vatum & fatidicorum: quæ omnia 3. Catilin. adhibentur. Nam ut illa omittam (ait Orator) visas nocturno tempore ab occidente faces, ardoremque cœli, ut fulminum jactus, ut terræ motus, cæteraque, quæ ita multa nobis Consulibus facta sunt, ut hæc, quæ nunc fiunt, canere Dii immortales viderentur. Deinde paulò pòst: Quo quidem tempore, cum Aruspices ex tota Hetruria convenissent, cædes atque incendia, & legum interitum, & bellum civile ac domesticum, & totius urbis ac imperii occasum appropinquare dixerunt,

runt, nisi Dii immortales omni ratione placati, suo numine propè fata illa flexissent. Tandem cum dixisset ut ex Aruspicum responsis ludi facti & Jovis signum majus factum conversúmque ad orientem, tum ait, Illud verò, nonne ita præsens est, ut nutu Jovis optimi maximi factum esse videatur? ut cum hodierno manè per forum meo jussu & conjurati & eorum indices in ædem Concordiæ ducerentur, eo ipso tempore signum statueretur, quo collocato atque ad vos Senatúmque conversо, omnia & Senatus & vos (quæ erant contrà salutem omnium cogitata) illustrata & patefacta vidistis. Brevius est illud Tibulli,

Quòd si vera canunt sacris oracula templis,
Hæc illi nostro nomine dicta refer:
Hoc tibi conjugium promittit Delius ipse.
Felix, ac alium desine velle virum.

CAPUT XXXIII.

De Testimonio humanæ legis & sententiæ.

TEstimonium humanum est commune aut proprium: commune ut lex & illustris sententia: legis autem & non scriptæ & scriptæ testimonium est pro Milone. Est enim (judices) non scripta sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus: verùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus: ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in tela, aut latronum, aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis. Et ibidem, Quod si duodecim tabulæ nocturnum furem quoquo modo, diurnum aut si se telo defenderit, interfici impunè voluerunt; quis est, qui quoquo modo quis in-

terſectus ſit, puniendum putet, cùm videat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem, ab ipſis porrigi legibus? Sententiæ illuſtris ſunt Proverbia: ut, Pares cum paribus facillimè congregantur. Spartam nactus es, hanc exorna. Sunt item dicta ſapientum, Noſce teipſum. Nequid nimis. Sponde, præſto eſt detrimentum. Proprium teſtimonium eſt; ut Platonis illud, 1. ad Quintum Fratrem: Atq; ille quidem princeps ingenii & doctrinæ Plato, tum deniq; fore beatas Reſpublicas putavit, ſi aut docti & ſapientes homines eas regere cœpiſſent, aut qui regerent, omne ſuum ſtudium in doctrina ac ſapientia collocaſſent. Talia ſunt in poëtis. 6. Æneid.

Diſcite juſtitiam, moniti: & nè temnite divos.

Sic Homerico illo verſu:

Αἴας δ' ἐκ σαλαμῖνος ἄγεν δυοκαίδεκα νῆας.

Ajax autem ex Salamine duxit duodecim naves.

Megarenſes victi ſunt ab Athenienſibus. Virorum teſtimonia ſunt, non tantum cùm quæritur de fundo aut cæde & ejuſmodi negotio aliquo, ſed etiam obligationis, confeſſionis, juris jurandi teſtimonia ſunt. Obligationis exemplum eſt 5. Phil. Audebo etiam obligare fidem meam (P. C.) vobis populóque Romano, quod profectò, cùm me nulla vis cogeret, facere non auderem, pertimeſcerémque in re maximè periculoſa opinionem temeritatis: promitto, recipio, ſpondeo, (P. C.) Cæſarem talem ſemper fore civem, qualis hodie ſit, qualemque eum maximè velle & optare debemus. Pignus autem obligatio quædam eſt: ut apud Virgil. Eclog. 3.

Vis ergo inter nos quid poſſit uterque, viciſſim
Experiamur? ego hanc vitulam (nè ſortè recuſes,
Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fœtus)
Depono: tu dic mecum quo pignore certes.

Confeſſio eſt libera vel expreſſa tormentis, quæ proprie quæſtio dicitur. Tale fuit argumentum contra

tra Milonem, quod à Cicerone deridetur. Age verò, quæ erat aut qualis quæstio? Heus, ubi Ruscio? ubi Casca? Clodius insidias fecit Miloni? Fecit: Certa crux. Nullas fecit: Sperata libertas. Huc etiam referri potest argumentum, quo utimur, cùm affirmationis nostræ approbationem & experientiam proponimus. 4. Ver. Ecquis Volcatio, si sua sponte venisset, unam libellam dedisset? Veniat nunc, experiatur: tecto recipiet nemo. Ter. Eunuch.

——*Fac periculum in literis,*
Fac in palæstra, fac in musicis, quæ liberum
Scire æquum est adolescentem, solertem dabo.

3. Trist.

Quod magis ut liqueat, néve hoc ego fingere credar:
Ipse velim pœnas experiare meas.

Jusjurandum etiam testimonium est: quale est 6. Æneid.

Per superos, & si qua fides tellure sub ima est,
Invitus, regina, tuo de littore cessi.

Reciprocatio hic obscurior est, ut quia testatum verum sit, testis sit etiam verax.

DEMONSTRATIO.

69. *Definitio* explicat naturam propriam rei definitæ, idque vel à causis tantum essentialibus communibus, quæ genere comprehenduntur & propriâ insuper formâ si queat haberi, vel ab aliis etiam argumentis reciprocis. Illa *definitio* est *perfecta*, hæc *imperfecta* vel *descriptio*.

70. Extra artificium rei nihil arguere potest; nisi proficiscatur ab eo qui novit artificium, & ostendit quòd novit. Hoc autem à quacunque persona quocunque modo fiat, unius generis est & *testimonium* vocatur.

71. *Testimonium* igitur ipsum in se consideratum, (id

(id est, affirmatio seu negatio testantis de re testatâ) nihil habet artis aut virtutis arguendi, sed fulciri debet *argumentis artificialibus*; tantum autem valet quantum & notitiæ & simplicis veracitatis in teste apparet. Aliud majorem, aliud minorem, aliud nullam vim habet.

72. *Reciprocatio* est cum rei propositæ artificialia argumenta spectantur & adferuntur, ad testimonii ac testis veracitatem arguendam.

P. RAMI

P. RAMI DIALECTICÆ

LIBER II.

Qui est de Judicio.

CAPUT I.

Quid Judicium.

ADhuc prima Dialecticæ artis pars fuit, in Inventione: pars altera sequitur, in judicio. Judicium est secunda pars Logicæ de disponendis argumentis ad bene judicandum: certâ enim dispositionis regulâ unumquodque judicatur: unde hæc pars Logicæ & judicium & dispositio pro eodem dicitur.

DEMONSTRATIO.

73. ARgumenta jam inventa debent ad usum inter se disponi. Hæc igitur *Dispositio* est Logicæ pars altera.

74. *Dispositio* autem argumentorum inventorum, vel eò tendit ut judicium de iis fiat, quod ex dispositione naturaliter emanat quasi ex flore, vel ut memoriâ possint retineri: hi enim tres actus rationis sunt, invenire, judicare, & memoriâ retinere, quibus tres interni sensus inserviunt, Phantasia, cogitativa facultas & memoria sensitiva: secunda igitur logicæ pars rectissimè dividitur in *Judicium* & *Methodum*.

CA-

CAPUT II.

De Axiomatis affirmatione ac negatione.

JUdicium, eſt axiomaticum vel dianoëticum. Axioma eſt diſpoſitio argumenti cum argumento, qua eſſe aliquid aut non eſſe judicatur. Latinè enuntiatum, enuntiatio, pronuntiatum, pronuntiatio, effatum dicitur. Axioma, eſt affirmatum, aut negatum: affirmatum, quando vinculum ejus affirmatur: negatum, quando negatur. Hinc naſcitur axiomatum contradictio, quando idem axioma affirmatur & negatur.

DEMONSTRATIO.

75. Quod judicio ſubjicitur vel clarum eſt & per ſe vel ſua luce manifeſtum, vel obſcurum & dubium: de manifeſtis judicium ſtatim fertur cùm proponuntur, de dubiis amplius deliberatur & diſcurſus mentis habetur: unde *judicium* accuratiſſimè dividitur in *Axiomaticum* & *Dianoeticum*.

76. *Axioma* proprie notat eam ſententiam, quæ omnium approbatione digna putatur (vox enim exiſtimationem & dignitatem ſonat; & non malè vertitur *pronunciatum honorarium*) cum igitur & illud completatur quod *Enunciatum*, *Enunciatio*, *Pronunciatum*, *Pronuncitio*, &c. Et ſimul etiam indicet, quænam ſententiæ ex hac doctrina judicentur, illæ nempe quæ non indigent approbatione, ſed per ſe fide dignæ ſunt; idcirco aptiſſima vox eſt quæ huic diſpoſitionis parti accommodatur.

77. Cum *axioma* ſemper lucem claram præ ſe ferat, proponit tantum vel declarat argumenta illa quæ vinculo

vinculo aliquo inter se connectuntur; neque probat quicquam sed judicat rem esse, vel non esse; id est, declarat & exponit.

78. In hác autem dispositione argumenta vel componuntur inter se vinculo affirmato & tum *axioma* dicitur *affirmatum*, vel a se invicem dividuntur vinculo negato, & tum dicitur *negatum*. Quod si idem axioma & affirmetur & negetur tum est *contradictio*.

Caput III.

De Vero & Falso.

AXioma deinde est verum aut falsum: verum, quando pronuntiat uti res est; falsum, contra. Axioma verum, est contingens aut necessarium. Contingens, quando sic verum est, ut aliquando falsum esse possit: ut,

Audentes fortuna juvat.—

Fac enim, id esse hodie verum, cras falsum esse poterit: itaque veritatis hujus contingentis judicium, opinio dicitur: quæ præteritorum & præsentium homini certa esse potest, futurorum per naturam non admodum potest, quamvis Deo tempora omnia præsentia sint. Itaque Martialis Priscum meritò cavillatur:

Sæpe rogare soles, qualis sim, Prisce, futurus,
Si fiam locuples, simque repentè potens:
Quenquam posse putas mores narrare futuros?
Dic mihi, si fias tu leo, qualis eris?

Necessarium, quando semper verum est, nec falsum potest esse: & illud affirmatum appellatur κατὰ παντὸς, de omni. Impossibile contrà, quod de nullo unquam verum esse potest. Axiomata artium sic κατὰ παντὸς

παντὸς esse debent, sed præterea homogenea & catholica. Axioma homogeneum est, quando partes sunt essentiales inter se: ut forma formato, subjectum proprio adjuncto, genus speciei. Id appellatur καθ' αυτο, per se. Axioma catholicum est, quando consequens semper verum est de antecedente, non solùm omni & per se, sed etiam reciproce: ut homo est animal rationale: numerus est par vel impar: lupus est natus ad ululandum. Id appellatur καθόλε πρῶτον, universaliter primum. Tres hæ sunt leges documentorum artis propriorum: prima κατὰ παντὸς lex veritatis: secunda καθ' αὐτὸ lex justitiæ: tertia καθόλε πρῶτον lex sapientiæ dicatur. Atque ejusmodi axiomatum ita catholicorum judicium verissima & prima scientia est.

DEMONSTRATIO

79. Si componantur res in naturâ compositæ, vel dividantur res in natura divisæ, tum axioma est *verum*: si vero componantur res in natura divisæ, aut compositæ dividantur, tunc est *falsum*.

80. Si quæ componuntur mutabiliter conveniant, axioma est *contingens* & judicium ejus est *opinio*. Per *opinionem* autem non debet intelligi vacillans & dubia rerum perceptio, nedum assensus retentio & suspensio, quomodo in usu vulgari sæpe usurpatur, sed notio ex contingenti mutabilique rerum in axiomate dispositarum natura, in mente cum assensu concepta: quæ sæpe est certa præsertim de præteritis & futuris, quibus etiam adhæret quædam necessitas, ratione contrarietatis facti & non facti; sed hæc est alterius axiomatis propriè, non ejusdem.

81. Si quæ componuntur immutabiliter conveniant, nec esse aliter possint ex natura sua, tum *axioma* est *necessarium*.

82. Ne-

82. Neceſſitas veritatis hoc in loco debet intelligi illa quæ eſt axiomatis propria: præter quam duæ ſunt aliæ neceſſitates Logicæ, quarum una eſt *coactionis* in efficiendi modo & altera *conſequentiæ* in ſyllogiſmo.

83. Hujus neceſſitatis tres habentur gradus, qui notis honorariis deſignantur, primus eſt κατὰ παντὸς, quo requiritur ut axioma ſit omnino, ubique, & ſemper verum, excludens & falſa commenta, & contingentia, quæque ſunt ex parte tantum vera; quæ ideo *lex* dicitur *veritatis*. Secundus eſt καθ' αὑτὸ, quo requiritur inſuper ut partes axiomatis inter ſe ſint eſſentiales, idque per ſe, non per aliud, excludens omnia adventitia, ut cuique rei tribuat quod eſſentiæ ſuæ debetur; quæ ideo *lex* dicitur *juſtitiæ*. Tertius eſt καθόλου πρῶτον, quo requiritur adhuc, ut partes inter ſe conveniant, primò & æqualiter vel reciprocè, (ſic ut aliud in eo genere prius enunciari non poſſit nec illud de alio) excludens confuſiones & tautologias, quæ ideo dicitur *lex ſapientiæ*.

84. Hæ tres leges debent obſervari in omnibus artium præceptis; neque ulli axiomati conveniunt omnes, niſi præceptum ſit alicujus artis, neque ulli, niſi per accommodationem talis præcepti, vel deductionem ex illo.

85 Hujuſmodi axiomatum judicium eſt prima veriſſimaque *ſcientia*, deductio aliorum axiomatum ex illis eſt *ſapientia* humana.

Tales fuerunt communes axiomatis affectiones, ſequuntur ſpecies.

CA-

Caput IV.

De Axiomate ſimplici.

Atque hæc de communibus axiomatis affectionibus, ſpecies ſequuntur. Axioma eſt ſimplex aut compoſitum. Simplex eſt, quod verbi vinculo continetur: Itaque affirmato vel negato verbo, affirmatur vel negatur: ut, Ignis urit: Ignis eſt calidus: Ignis non eſt aqua: hic, ignis, eſt antecedens: urit, conſequens. Atque hic prima eſt inventarum rerum diſpoſitio, cauſæ cum effecto, ut in primo exemplo: ſubjecti cum adjuncto, ut in ſecundo: diſſentanei cum diſſentaneo, ut in tertio: quomodo argumentum quodlibet enuntiari poteſt (exceptis plenis comparationibus, & diſtributionibus) conſentanea quidem affirmando, diſſentanea negando.

Axioma ſimplex, eſt generale aut ſpeciale. Generale, quando commune conſequens attribuitur generaliter communi antecedenti. Atque hic contradictio non ſemper dividit verum & falſum, ſed contingentium utraque pars falſa poteſt eſſe, ut:

Omnis in orbe locus Baiis prælucet amœnis.
Nullus in orbe locus Baiis prælucet amœnis.

Item non contingentium, ut: Omne animal eſt rationale: Nullum animal eſt rationale.

Axioma ſpeciale eſt, quando conſequens non omni antecedenti attribuitur: & hic contradictio ſemper dividit verum à falſo. Speciale eſt particulare aut proprium. Particulare, quando conſequens commune antecedenti particulariter attribuitur: Huic Autem axiomati generaliter contradicitur:

Aliquid ignoſcendum eſt:
Nihil ignoſcendum eſt.

Aliqua

Aliqua clementia non est laudanda:
Omnis clementia est laudanda.

Axioma proprium est, quando consequens antecedenti proprio attribuitur: ut Fabulla est bella: cujus negatio & contradictio est, Fabulla non est bella.

DEMONSTRATIO.

86. In axiomatica dispositione vel unicus directus & simplex actus mentis est, quasi una linea recta duo argumenta complectens (quo modo omnia argumenta præter plenas comparationes & distributiones disponi possunt) & tum *axioma* dicitur *simplex*: vel compositus, quasi linea curva faciens quandam circuitionem, & tum *axioma* dicitur *compositum*.

87. *Simplicis axiomatis* vinculum vel forma est in verbo; verbum autem grammaticum non debet hic intelligi (quamvis eo etiam exprimi soleat vinculum una cum consequente vel ejus parte) sed logica verbi vis mente concepta; qua argumenta dispositа inter se conglutinantur & axioma totum viget ac animatur.

88. Mens differentis simpliciter enunciando, vel spectat totum illud in communi cui aliquid attribuit, & *axioma* est *generale*, ubi & consequens & modus attribuendi debent esse communes: vel partem ejus tantum & quasi speciem, quod efficit *axioma speciale*, in quo pars illa vel incerte ac dubiè notatur, quod *axioma particulare* constituit; vel singulariter, & propriè designatur, quod est *axioma proprium*.

89. *Generali* affirmato, quoniam includit totum antecedens, contradicitur aliquo modo per exclusionem totius; sed non immediatè nec efficaciter ad constantem divisionem veri à falso, nisi per exclusionem partis alicujus, quod maxime directè fit per *axi-*

oma particulare oppoſitum. *Particulare* unum oppoſitum alteri non contradictionem facit ſed diſtributionem: non enim idem ſubjectum neceſſario deſignant; atque adeo non affirmatur & negatur idem illa ratione: ſed ubi pars incerta affirmatur, ut contradictio fiat, totum debet negari per *axioma generale* & ſic è contra. Tunc autem ſemper dividitur verum à falſo, ita ut verum ab una parte ſtet ac falſum ab altera.

Caput V.

De Axiomate copulato.

AXioma compoſitum, eſt, quod vinculo conjunctionis continetur. Itaque è conjunctione affirmata vel negata, affirmatur vel negatur. Contradictioniſque pars vera eſt, pars falſa. Enuntiatum compoſitum, eſt pro ſua conjunctione congregativum, aut ſegregativum: congregativum, enuntiat omnia conſentanea affirmando, omnia etiam diſſentanea negando. Eſt verò copulatum aut connexum: Copulatum, cujus conjunctio eſt copulativa, ut 1. Æneid.

Unà Euriſque Notiſque ruunt, creberque procellis
Africus.----

Hic igitur negatio erit & contradictio:

Non unà Euriſq; Notiſq; ruunt, creberq; procellis
Africus.----

Verum enuntiati copulati judicium pendet ex omnium partium veritate: falſum, ſaltem ex una parte falſa. Huic generi affine eſt enuntiatum relatæ qualitatis, cujus conjunctio eſt ipſa relatio. 3. Ecl.

Talc tuum carmen nobis divine poëta,
Quale ſopor feſſis in gramine.----

Hic

Hic copulatum judicium est, tanquam diceretur: Sopor est fessis gratus, & sic tuum carmen nobis gratum est: cujus negatio,

Non tale tuum carmen nobis, divine poeta,
Quale sopor fessis in gramine. ---

DEMONSTRATIO.

90. Quando argumenta duobus plura in eodem axiomate disponuntur, vel duorum dispositio multiplex est & circumducta, tum vinculum non potest esse verbum unum, sed conjunctio plurium, quæ maxima ex parte grammaticis conjunctionibus, aliquando voculis etiam relativis notatur; hoc igitur axiomatis genus *compositum* vocatur, ubi conjunctioni adhæret affirmatio, negatio, & contradictio, quæ dividit semper verum à falso.

91. Conjunctio vero aut sensum conjungit, una cum verbis, aut verba sola conjungit, sensum vero disjungit: si sensum conjungat, *axioma* dicitur *congregativum* si vero verba tantum, *segregativum.*

92. Quæ sensum conjungit vel id necessario facit, partem unam adalligans alteri quasi attrahente nexu, quod *axioma* est *connexum:* vel non necessario & sine dependentia ulla partes inter se collateraliter tenentur quasi jugo vel copula æquali, quod genus axiomatis dicitur *copulatum.*

93. In *axiomate copulato* illa præcipuè & maximè proprie conjunguntur quæ vel solent vel possunt separari (ut Cæsar doctus fuit & pugnax) cujus dispositionis vel vinculi nota vel est conjunctio grammatica copulativa (ut, *ac, &, etiam item, necnon, quoque, que, atque, itémque, neque)* vel adverbia cum conjunctionibus conjuncta, (ut, *simul, una, pariter,* &c.) vel denique relationum illarum particulæ, quæ pertinent

nent ad plenas comparationes, ſive ſint qualitatis ſive quantitatis.

94. Tota vis *axiomatis copulati* eſt in ipſa copulatione. Verum igitur non eſt dicendum, niſi in copulatione partes omnes veræ ſint: falſum vero ſi vel una ſit falſa. Æquè igitur contradicitur copulato per unius partis excluſionem, ac per omnium remotionem: imo talis remotio non eſt copulationis vel copulati axiomatis, ſed partium negatio, quæ non ſemper dividit verum à falſo.

Caput VI.

De Axiomate connexo.

AXioma connexum eſt congregativum, cujus conjunctio eſt connexiva, Si: ut 2. Æneid.

— Si miſerum fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam mendacémq; improba finget.

cujus negatio eſt,

Non ſi miſerum fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam mendacémque improba finget.

Conjunctio etiam hæc interdum negatur apertius, negando conſequentiam, ut pro Amer. Non continuo ſi me in ſicariorum gregem contuli, ſicarius ſum. De Fato: Nec ſi omne enuntiatum verum eſt aut falſum, ſequitur illico cauſas eſſe immutabiles. Affirmatio enim ſignificat, ſi ſit antecedens, etiam conſequens eſſe. Negatio itaque & contradictio ſtatuit, ſi ſit antecedens, non ideo conſequens eſſe. Quare cùm judicabis connexum abſolutè verum eſſe, neceſſarium quoque judicabis; & intelliges hanc neceſſitatem è neceſſaria partium connexione oriri, quæ ipſa poteſt eſſe vel in falſis partibus: ut, Si homo eſt leo,

eſt

est etiam quadrupes, necessarium connexum est. At si connexio sit contingens & pro sua tantùm probabilitate ponatur, judicium ejus tantùm opinio fuerit: ut Terent. Andr.

Pamphile, si id facis, hodie postremùm me vides.

Connexo axiomati affinis est ista consequentiæ relatio, ut, Cùm Tullius sit orator, est etiam peritus bene dicendi.

DEMONSTRATIO.

95. In *connexo axiomate* disponuntur illa quæ inter se concatenatione quadam cohærent, continua vel contigua serie, qua unum alterum post se trahit aut infert quadam necessitate. Exprimitur hæc illatio per conjunctionem connexivam *si, sin*, &c. Vel per relationem consequentiæ, *cum hoc, tum etiam illud.*

96. Connexionis necessitas hic spectatur sola: quæ potest esse vera ex partibus falsis, quemadmodum & falsa ex partibus veris. Quoniam ex vero nil nisi verum, nec tamen ex quolibet quid libet sequitur ac pendet, contradictio igitur est per quamlibet consequentiæ negationem.

CAPUT VII.

De Axiomate discreto.

AXioma segregativum est, cujus conjunctio est segregativa: ideóque argumenta dissentanea enuntiat. Enuntiatum segregativum, est discretum, aut disjunctum. Discretum, cujus conjunctio est discretiva. Itaque è dissentaneis præcipuè diversa enuntiat. 5. Tusc. Quanquam sensu corporis judicentur, ad ani-

mum referri tamen : cujus negatio & contradictio est, Non quanquam corporis sensu judicentur, tamen ad animum referri : vel, Quanquam sensu corporis judicentur, non tamen ad animum referri. Nam, Tamen, est hic conjunctio præcipua Discretum enuntiatum judicatur esse verum & legitimum, si partes non solùm veræ ; sed etiam discreta sint : falsum vel ridiculum contrà.

DEMONSTRATIO.

97. Conjunctiones segregativæ vel segregant non necessario, ea quæ solent vel possunt convenire discernentes, unde *axioma* dicitur *discretum*, præcipuè ac propriè continens diversa : vel necessario ea, quæ non possunt convenire : per disjunctionem separantes, unde *axioma* dicitur *disjunctum*, præcipuè ac propriè opposita disponens.

98. Discretæ conjunctionis vel sejunctionis notæ sunt, *autem*, *ast*, *at*, *interea*, *interim*, *ut*, *vero*, *verum*, *nunc*, *tamen*, *etsi*, *tametsi*, *quamvis*, *extraquam*, *præterquam*.

99. Discretio fit propriè per unius partis affirmationem (realem vel fictam) & alterius negationem : quæ ambæ debent esse veræ in vero *discreto*. Cum autem hoc modo segreget ea quæ videri potuerint conjuncta, in distinguendo præcipuè adhibetur, & contradicit *copulato connexóque*, vel potius contradictionis eorum est consectarium.

CA-

Caput VIII.

De Axiomate disjuncto.

Axioma disjunctum, est axioma segregativum, cujus conjunctio est disjunctiva, ut 1. Georg.

Illic ut perhibent, aut intempestæ silet nox
Semper, & obtenta densantur nocte tenebræ;
Aut redit à nobis aurora, diémque reducit.

De Fat. Omnis enunciatio est vera aut falsa. Hic significatur, è disjunctis unicum verum esse. Negatio igitur erit & contradictio: Non omnis enunciatio est vera aut falsa. Et contradictione significatur, non necessariò alterutrum verum esse. Nam si disjunctio absolutè vera est, est etiam necessaria: partésq; disjunctæ sunt oppositæ sine ullo medio. Veruntamen quamvis absolutè vera disjunctio, necessaria quoque sit: tamen nihil necesse est partes separatim necessarias esse: ut, Homo est bonus, vel non est bonus, disjunctio necessaria est: & tamen, Homo est bonus, non est enuntiatio necessaria. Item, Homo non est bonus, non est enuntiatio necessaria: sed disjunctionis necessitas pendet è necessaria partium oppositione & disjunctione, non ex earum necessaria veritate. Disjunctio autem plerumque est ex conditione, ut si quæratur, Utrum Cleon venerit, an Socrates: quia ita pactum sit, alterutrum tantum venturum esse. Itaque si disjunctio sit contingens, non est absolute vera, & tantùm opinabilis est: qualis est frequenter in hominum usu. Ovid. in Epistola Leandri.

Aut mihi continget felix audacia salvo,
Aut mors solliciti finis amoris erit.

DEMONSTRATIO.

100. *Disjunctum axioma* sic appellatur κοθ' ἐξοχὴν, quia necessariam disjunctionem per se ferre solet. Potest autem *disjunctum axioma* esse necessariæ veritatis, ex partibus non necessariis, & non necessariæ ex parte aliqua necessaria: hujus enim axiomatis veritas pendet ex necessaria partium disjunctione; sicut veritas connexi ex earum simili connexione.

101. Hic significatur unum esse verum & non nisi unum: quia non est legitimè *disjunctum axioma*, si ullæ partes inter se conveniant, nec verum, si enumeratio non sit plena: ex hac autem enumeratione plena, argumenta disposita rationem habent oppositionis immediatæ.

102. In distributione generis in species si ratio habeatur consensionis quæ est inter totum & partes, *axioma* est *copulatum*: sed prout spectatur partium inter se dissensio, *axioma* est *disjunctum*.

CAPUT IX.

De Syllogismo & ejus partibus.

ATque ejusmodi judicium est axiomaticum axiomatis per se manifesti, sequitur dianoëticum: Dianoia est, cùm aliud axioma ex alio deducitur: éstque syllogismus aut methodus. Syllogismus est dianoia, qua quæstio cum argumento ita disponitur, ut posito antecedente, necessariò concludatur. Nam cùm axioma dubium sit, quæstio efficitur, & ad ejus fidem tertio argumento opus est cum quæstione collocato.

Syllo-

Syllogismi antecedens partes duas habet, propositionem & assumptionem.

Propositio est prima pars antecedentis, qua quæstionis saltem consequens cum Argumento disponitur: Assumptio est secunda pars antecedentis, quæ assumitur è propositione. Syllogismi autem pars consequens est, quæ complectitur partes quæstionis, eamq; concludit: unde complexio & conclusio dicitur. Si qua pars syllogismi defuerit, enthymema dicitur: si quid præter illas tres partes accesserit, prosyllogismus. Partium etiam ordo sæpe confunditur: attamen si qua dubitatio propterea fuerit, explenda quæ desunt: amputanda quæ supersunt: & pars quælibet in locum redigenda est.

DEMONSTRATIO.

103. Quum veritas aut falsitas axiomatis non est per se clara, sed obscura vel dubia, sive in se, sive ipsi cui fides ejus est facienda, tum *quæstio* fit: circa quam exercet se mens hominis cursitando, vel transmittendo se ab uno ad aliud, ut faciat rem claram, aut inferat ei lucem. Hæc est dianoetica ratio *syllogismi*.

104. Illatio *syllogismi* semper est necessaria vi dispositionis, quamvis nulla sæpe pars ejus in sese considerata necessario sit vera. Hæc est *necessitas consequentiæ*, & necessitas ex *suppositione* vel *hypothesi*.

105. Quæstio inferenda continet semper argumenta duo; de quibus non liquet utrum conjungenda sint an potius disjungenda. Hoc ut appareat tertium aliquod argumentum adhiberi debet, quod cum illis duobus dispositum illorum concordiam, aut discordiam palam efficere possit. Tria igitur sunt argumenta in omni syllogismo; non pauciora, neque plura possunt esse: quia tum inferrent etiam plura, non unum

num illud quod in dubium vocatur: unum tamen argumentum variis terminis contineri potest: sicut etiam argumenta varia sub uno termino sæpe latent, qui variam habet significationem.

106. Tertium argumentum disponendum est cum utraque parte quæstionis, ut lucem & vim adferat illi dispositioni ac affectioni, quam habent inter se. Disponitur inprimis cum consequente (saltem) ejus parte; quæ præcipuè constituit quæstionem, & illa dispositio præponitur tanquam fundamentum ratiocinationis, unde *propositio* vocatur; ex qua assumitur tertium argumentum, & vel per se, vel cum antecedente parte quæstionis secundo in loco disponitur, quæ pars idcirco *assumptio* nominatur: ex quibus infertur quæstio ipsa, ratiocinationem totam claudens, unde *conclusio* dicitur.

107. Partium harum deest aliquando una, ut in *enthymemate*, ad illas etiam aliæ nonnunquam accedunt, ut in syllogismorum implicatis formis, *Sorite* & *Dilemmate*; sed revocari semper debet ratiocinationis vis ad unicam syllogismi formam: præter quam nulla est alia dispositio, cujus vi necessariò consequentia, vel conclusio efficiatur.

Caput X.

De Syllogismo simplici contracto.

Syllogismus, est simplex aut compositus: Simplex, ubi pars consequens quæstionis disponitur in propositione: pars antecedens in assumptione: élitq; affirmatus è partibus omnibus affirmatis, negatus è negata antecedentium partium altera cum complexione: generalis è propositione & assumptione generalibus: spe-

ſpecialis ex altera tantùm generali: proprius ex utraque propria. Simplex ſyllogiſmus, eſt contractus partibus vel explicatus. Contractus, quando argumentum pro exemplo ita ſubjicitur particulari quæſtioni, ut utramque partem antecedens & aſſumptione affirmatum intelligatur:

Quædam confidentia eſt virtus, ut conſtantia.
Quædam confidentia non eſt virtus, ut audacia.

Hic enim argumentum, quæſtionis utramque partem antecedere intelligitur, tanquam eſſet expreſſum, Conſtantiam eſſe virtutem & confidentiam: ideóque quandam confidentiam eſſe virtutem: item, Audaciam non eſſe virtutem, & tamen eſſe confidentiam: ideóque quandam confidentiam non eſſe virtutem. Sic uſus diſſerendi, magiſter ſyllogiſtici judicii contrahitur, nec aliter explicatur. Atque iſta expoſitio principium ſyllogiſmi partibus explicati ab Ariſtotele efficitur, tanquam per ſe pleno ſyllogiſmi judicio ſit clarior & illuſtrior.

DEMONSTRATIO.

108. Diſpoſitio quæſtionis cum argumento tertio, eſt vel planè ſimplex, & per partes, conſequentis nempe in propoſitione & antecedentis in aſſumptione, cujus rationis *ſyllogiſmus* eſt *ſimplex*: vel compoſita, totius nempe quæſtionis in propoſitione, quæ ratio eſt *compoſiti ſyllogiſmi*.

109. Si tertium argumentum in *ſimplici ſyllogiſmo* conſentiat cum utraque parte quæſtionis, tum ſyllogiſmus debet omnibus partibus affirmari: ſi cum conſequente ſolâ, tum ſola propoſitio, ſi cum antecedente ſola, tum ſola aſſumptio affirmatur & pars reliqua una cum concluſione negatur. Quæ enim in aliquo tertio conveniunt, conveniunt etiam inter ſe, & quæ in eodem tertio diſſentiunt, diſſentiunt etiam inter ſe.

ex

ex utraque antecedentis parte negata nullus conficitur syllogismus: quoniam illud quod dissentit ab utraque parte quæstionis, neque consensionem neque dissensionem eorum inter se ostendere potest: similis est ratio utriusque particularis, nullam enim connexionem habent, sed scopas dissolutas & quatuor argumenta.

110. In simplici dispositione prima illatio est quasi à specie ad genus & dicitur *syllogismus contractus*, quia tali forma semper fere occurrit; in quo tertium argumentum est species vel quasi species prioris termini in quæstione: atque ideo præcedit in utraque parte; est enim angustior utroque termino: ideo etiam assumptio affirmatur, in qua antecedens pars quæstionis tribuitur tertio argumento tanquam speciei suæ: idcirco etiam conclusio est particularis, quia species non infert secum genus nisi ex parte, vel particulariter ut pars ejus.

Caput XI.

De prima specie Syllogismi simplicis explicati.

IN syllogismo explicato propositio est generalis aut propria, & conclusio similis antecedenti aut parti debiliori. Species duæ sunt, prima ubi argumentum semper sequitur, negatum in altera parte.

GEN. I.

Cæsare. *Turbatus non bene utitur ratione:*
Sapiens bene utitur ratione:
Sapiens igitur non est turbatus.

Hoc judicium ità fit à Cic. 3. Tusc. Et quemadmodum (ait) oculus conturbatus, non est probè affectus ad

ad ſuum munus fungendum: & reliquæ partes, totúmque corpus à ſtatu cùm eſt motum, deeſt officio ſuo ac muneri: ſic conturbatus animus non eſt probè affectus ad exequendum munus ſuum. Munus autem animi eſt, ratione uti: & ſapientis animus ita ſemper affectus eſt, ut ratione optimè utatur: nunquam igitur eſt perturbatus.

GEN. II.

Cam- *Res mortalis eſt compoſita:*
es- *Animus non eſt compoſitus:*
tres. *Animus igitur non eſt mortalis.*

Cic. 1. Tuſc. Hoc ſyllogiſmo judicat animum immortalem eſſe. In animi autem cognitione (inquit) dubitare non poſſumus, niſi fortè in phyſicis plumbei ſumus, quin nihil ſit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Quod cùm ità ſit, certè nec ſecerni, nec dividi, nec diſcerpi, nec diſtrahi poteſt: nec interire igitur. Eſt enim interitus, quaſi diſceſſus & ſecretio ac diremptus earum partium, quæ ante interitum junctione aliqua tenebantur.

SPEC. I.

Feſ- *Lividus non eſt magnanimus:*
ti- *Maximus eſt magnanimus:*
no. *Maximus igitur non eſt lividus.*

Hoc judicio Ovid. 3. de Pont. Eleg. 3. concludit:

Livor, iners vitium, mores non exit in altos:
Utque latens ima vipera ſerpit humo:
Mens tua ſublimis ſupra genus eminet ipſum,
Grandius ingenio nec tibi nomen inеſt.
Ergo alii noceant miſeris, opténtque timeri,
Tinctáque mordaci ſpicula felle gerant.
At tua ſupplicibus domus eſt aſſueta juvandis,
In quorum numero me precor eſſe velis.

SPEC.

SPEC. II.

Ba- *Saltator eſt luxurioſus:*
roc- *Muræna non eſt luxurioſus:*
o. *Muræna igitur non eſt ſaltator.*

Cic. pro Mur. Nemo enim ferè ſaltat ſobrius, niſi fortè inſanit, neque in ſolitudine, neque in convivio moderato atque honeſto: Intempeſtivi convivii, amœni loci, multarum deliciarum comes eſt extrema ſaltatio: Tu mihi arripis id, quod neceſſe eſt omnium vitiorum eſſe poſtremum: relinquis illa, quibus remotis hoc vitium omnino eſſe non poteſt: nullum turpe convivium, non amor, non comeſſatio, non libido, non ſumptus oſtenditur: & cùm ea non reperiantur, quæ voluptatis nomen habent, quæque vitioſa ſunt, in quo ipſam luxuriam reperire non potes, in eo te umbram luxuriæ reperturum putas? Hoc judicii modo Ovidius 1. Triſt. Eleg. 2. tripliciter concludit, dum carminum ſuorum excuſationem exponit:

Carmina proveniunt, animo deducta ſereno:
Nubila ſunt ſubitis tempora noſtra malis.
Carmina ſeceſſum ſcribentis & otia quærunt:
Me mare, me venti, me fera jactat hyems.
Carminibus metus omnis abeſt: ego perditus enſem
Hæſurum jugulo jam puto jamque meo.
Hæc quoque quæ facio, judex mirabitur æquus:
Scriptáque cum venia qualiacunque leget.

PRO. I.

Ageſilaus non eſt pictus ab Apelle:
Alexander eſt pictus ab Apelle:
Alexander igitur non eſt Ageſilaus.

PRO. II.

Cæſar oppreſſit patriam:
Tullius non oppreſſit patriam:
Tullius igitur non eſt Cæſar.

DE-

DEMONSTRATIO.

111. Secunda illatio eſt quaſi à genere ad ſpeciem, & vocatur *primus explicatus*; argumentum enim eſt quiddam confuſius quam vel conſequens vel antecedens; atq; ideo ſequitur in utraque parte; ideo etiam concludit ſemper negativè, quia conſenſio generalis non efficit conſenſionem ſpecialem, ſed diſſenſio generalis diſſenſionem efficit ſpecialem.

CAPUT XII.

De ſecunda ſpecie ſyllogiſmi ſimplicis explicati.

SEcunda ſpecies explicati ſyllogiſmi eſt, quando argumentum antecedit in propoſitione, ſequitur affirmatum in aſſumptione.

AFF. GEN.

Bar- *Omne juſtum eſt utile:*
ba- *Omne honeſtum eſt juſtum:*
ra. *Omne igitur honeſtum eſt utile.*

Quod Cicer. 2. Offic. ita concludit: Summa quidem authoritate philoſophi, severè ſanè atque honeſtè hæc tria genera confuſa, cogitatione diſtinguunt: Quicquid enim juſtum ſit, id etiam utile eſſe cenſent: Itémque, quod honeſtum, idem juſtum: ex quo efficitur, ut quidquid honeſtum ſit, idem ſit utile.

NEG.

NEG. GEN.

Ce- *Timidus non eſt liber:*
la- *Avarus eſt timidus:*
rent. *Avarus itaque non eſt liber.*

Hoc ita concluditur & judicatur ab Horatio 1. Epiſt.

Quo melior ſervo, quo liberior ſit avarus,
In triviis fixum cùm ſe demittit ob aſſem,
Non video: nam qui cupiet, metuet quoque: porro
Qui metuens vivit, liber mihi non erit unquam.

Sic Terent. in Eunucho concludit & judicat:

Conſilii expers, conſilio regi non poteſt:
Amor eſt conſilii expers:
Conſilio itaque regi non poteſt.

Syllogiſmus his verbis ſequitur:

Here, quæ res in ſe neque conſilium neque modum
Habet ullum, eam conſilio regere non potes.
In amore omnia hæc inſunt vitia: injuriæ,
Suſpiciones, inimicitiæ, induciæ,
Bellum; pax rurſum: incerta hæc ſi tu poſtules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quàm ſi des operam, ut cum ratione inſanias.

AFF. SPE.

Da- *Conſules virtute facti, ſtudioſè Remp. tueri debent:*
ri- *Cicero eſt virtute factus Conſul:*
i. *Cicero igitur Remp. ſtudioſè tueri debet.*

Sic orator diligentiam ſuam Agrar. 2. concludit & judicat: Nam cum omnium Conſulum (ait) gravis in Republica cuſtodienda, cura ac diligentia debet eſſe, tum eorum maximè qui non in incunabulis, ſed in campo ſunt Conſules facti. Nulli populo Romano pro me majores noſtri ſpoponderunt, mihi creditum eſt: à me petere, quod debeo, me ipſum appellare debetis. Quemadmodum cùm petebam, nulli

me

me authores generis mei vobis commendarunt: ſic ſi quid deliquero, nullæ ſunt imagines quæ me à vobis deprecentur. Quare modò ut vita ſuppetat (quanquam ego ſum is, qui eam poſſim ab iſtorum ſcelere inſidiiſque defendere) polliceor hoc vobis, Quirites, bona fide, Remp. vigilanti homini, non timido, diligenti, non ignavo commiſiſtis.

Quod optatum redierit, gratum eſt:
Lesbia Catullo optata rediit:
Grata igitur eſt.

Catullus ſic concludit:

Si quicquam cupidóq; optantíq; obtigit unquam &
Inſperanti, hoc eſt gratum animo proprie:
Quare hoc eſt gratum, nobis quoque charius auro,
Quod te reſtituis, Lesbia, mî cupido
Reſtituis cupido, atque inſperanti ipſa refers te
Nobis. ô lucem candidiore nota!
Quis me uno vivit feliciór? aut magis hac quid
Optandum vita, dicere quis poterit?

NEG. SPEC.

Fe- *Decceptor amantis puellæ non eſt laudandus:*
ri- *Demophoon eſt deceptor amantis puellæ, ut Phyllidis:*
o. *Demophoon igitur non eſt laudandus.*

Phyllis apud Ovidium ita judicat Demophoontem laudandum non eſſe:

Fallere credentem non eſt operoſi puellam
Gloria; ſimplicitas digna favore fuit:
Sum decepta tuis & amans & fœmina verbis,
Dii faciant laudis ſumma ſit iſta tuæ.

AFF. PRO.

Octavius eſt hæres Cæſaris:
Ego ſum Octavius:
Sum igitur hæres Cæſaris.

NEG. PRO.

Antonius non eſt filius Cæſaris:
Tu es Antonius:
Non es igitur filius Cæſaris.

DEMONSTRATIO.

112. Tertia illatio eſt quaſi ab affectione medii alicujus inter genus & ſpeciem, ad affectionem eorum inter ſe, & dicitur *explicatus ſecundus*, in quo argumentum tertium eſt anguſtius quid, & quaſi ſpecies conſequentis, atque ideo præcedit in propoſitione, & latius quid vel quaſi genus antecedentis, atque ideo ſequitur in aſſumptione: quia conſenſio médii cum ſuperiore non efficit illud cum inferiore conſentire, niſi idem etiam cum inferiore conſentiat; neque diſſenſio ejus ab inferiore, & conſenſio cum ſuperiore, facit ut illa inter ſe diſſentiant, ut *animal, homo, equus.*

113. In iſtis explicatis quoniam conſequens pars quæſtionis habet rationem vel generis vel ſpeciei ad tertium argumentum, & ejus vi debet applicari ad antecedentem, ideo propoſitio debet eſſe generalis; vel propria quæ ad generalis rationem accedit: concluſio autem eſt vel ſpecialis vel propria, ſi antecedentis alterutra pars talis fuerit: quia medium nullum affectionem extremorum inter ſe oſtendere poteſt, ulterius quam afficitur ipſum erga utrumque.

CAPUT XIII.

De Syllogiſmo connexo primo.

ADhuc ſyllogiſmus ſimplex fuit: ſyllogiſmus compoſitus, eſt ſyllogiſmus, ubi tota quæſtio eſt pars altera propoſitionis affirmatæ & compoſitæ: argumentum eſt pars reliqua. Tollere autem in compoſito ſyllogiſmo, eſt ſpecialem contradictionem ponere. Syllogiſmus compoſitus, eſt connexus aut disjunctus. Syllogiſmus connexus, eſt ſyllogiſmus compoſitus propoſitionis connexæ, éſtq: duorum modorum: primus modus ſyllogiſmi connexi eſt, qui aſſumit antecedens, & conſequens concludit. Quo modo Cicero judicat & concludit lib. 2. de Divinat.

Si dii ſunt divinatio eſt:
Sunt autem dii:
Divinatio eſt igitur.

3. Offic. Atque ſi etiam hoc natura præſcribit, ut homo homini, quicunque ſit, ob eam ipſam cauſam, quòd is homo ſit, conſultum velit, neceſſe eſt ſecundum eandem naturam, omnium utilitatem eſſe communem. Quod ſi ità eſt, una continemur omnes & eadem lege naturæ: Idque ipſum ſi ità eſt, certè violare alterum lege naturæ prohibemur: verum autem primum, verum igitur & extremum.

Sic Æneid. 4. Dido judicat Æneæ remanendum eſſe:

Méne fugis? per ego has lacrymas dextrámq; tuam, te,
Quando aliud mibi jam miſeræ nil ipſa reliqui,
Per connubia noſtra, per inceptos hymenæos,
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam
Dulce meum: miſerere domus labentis, & iſtam,
Oro, ſi quis adhuc precibus locus, exue mentem:

Te propter Libycæ gentes Nomadúmque tyrannî
Odere, infensi Tyrii: te propter eundem
Extinctus pudor; & quâ solâ sidera adibam,
Fama prior: cui me moribundam deseris hospes?

Frequenter hîc non assumitur idem, sed majus, ut 1. Catil. Si te parentes timerent, atque odissent tui, neque illos ulla ratione placare posses, ut opinor, ab eorum oculis aliquo concederes: nunc te patria (quæ communis est omnium nostrum parens) odit ac metuit, & jamdiu nihil de te judicat, nisi de parricidio suo cogitare. Hujus tu neque authoritatem verebere? neque judicium sequere? neque vim pertimesces? Concludendi modus hic idem est, quando propositio est relata temporis: quo genere nympha Oenone apud Ovidium concludit errorem stultitiæ suæ:

Cum Paris Oenone poterit spirare relicta,
Ad fontem Xanthi versa recurret aqua:
Xanthe retrò propera, verséque recurrite lymphæ:
Sustinet Oenonen deseruisse Paris.

Caput XIV.

De Syllogismo connexo secundo.

Secundus modus connexi tollit consequens, ut tollat antecedens:

Si ulli rei sapiens assentietur usquam, aliquando etiam opinabitur:
Nunquam autem opinabitur:
Nulli igitur rei assentietur.

Eodem syllogismo Ovidius 2. Trist. stultitiam suam judicat:

si

Si saperem, doctas odissem jure sorores,
Numina cultori perniciosa suo:
At nunc (tanta meo comes est insania morbo)
Saxa memor refero rursus ad icta pedem.

Hæ duæ syllogismi species sunt omnium usitatissimæ.

DEMONSTRATIO.

114. In compositâ syllogismi dispositione quæstio & argumentum simul ingrediuntur propositionem: necesse ergo est, ut tota vis illationis in eadem comprehendatur: hoc vero fieri non potest in simplici axiomate, nec propriè in negato; quare *syllogismi compositi* propositio debet esse affirmata & composita.

115. Ex propositione vel assumitur tertium argumentum, ut concludatur quæstio: vel tollitur tertium argumentum in assumptione ut tollatur quæstio in conclusione: tollere autem est contradictionem ponere maximè directam.

116. Requiritur etiam ut necessitas sit in illatione: hæc vero non propriè inest axiomati copulato, aut discreto, illud enim congregat hoc segregat non necessario: in connexo autem necessaria est connexio; & in disjuncto est necessaria disjunctio: *syllogismi* igitur *compositi* propositio est aut connexa aut disjuncta, atque adeo *syllogismus* ipse vel *connexus* vel *disjunctus*.

117. In axiomate connexo quia consequens semper perhibetur verum idque non absolutè & simpliciter, sed ex suppositione antecedentis; idcirco non sequitur ratio, à remotione antecedentis, ad remotionem consequentis, aut à positione consequentis ad positionem antecedentis; ex falso enim verum sequi potest. sed à positione antecedentis ad positionem

consequentis, qui est *connexus primus* & à remotione consequentis ad remotionem antecedentis, qui est *connexus secundus*, quia ex vero nil nisi verum sequitur.

Caput XV.

De Syllogismo disjuncto primo.

Syllogismus disjunctus, est syllogismus compositus propositionis disjunctæ. Modi duo sunt: Primus tollit unum, & reliquum concludit, ut:

Aut dies est aut nox est:
At dies non est:
Nox igitur est.

Ciceronis pro Cluentio judicium tale est: Sed cùm esset hæc illi proposita conditio, ut aut juste piéque accurret, aut acerbè indignéque moreretur: accusare quoquo modo posset, quam illo modo mori malluit. Disjunctio clarior sic erit:

Aut accusandum, aut moriendum:
Non moriendum:
Accusandum igitur.

Sic idem 2. Philip. ratiocinatur. Nunquam nè intelliges tibi statuendum esse, utrum illi qui istam rem gesserunt, homicidæ sint, an vindices libertatis? Attende enim paulisper, cogitationemque sobrii hominis ad punctum temporis suscipe: & ego qui sum illorum, ut ipse fateor, familiaris: ut à te arguor, socius: nego quicquam esse medium: confiteor, illos nisi liberatores populi Romani conservatoréque Reipublicæ sint, plusquam sicarios, plus quàm homicidas, plus quàm parricidas esse: si quidem est atrocius, patriæ parentem, quàm suum occidere.

cidere. Tu homo sapiens & consideratè, quid dicis? Si parricidæ, cur honoris causa à te sunt & in hoc ordine, & apud populum Romanum semper appellati? cur M. Brutus, te referente, legibus est solutus, si ab urbe plus quàm decem dies abfuisset? Cur ludi Apollinares incredibili M. Bruti honore celebrati? cur provinciæ Cassio & Bruto datæ? cur Quæstores additi? cur Legatorum numerus auctus? Atque hæc acta per te: non igitur homicidæ: Sequitur ut liberatores tuo judicio sint, quandoquidem tertium nihil potest esse. Si partes disjunctæ propositionis sint duabus plures, judicandi concludendique ars erit eadem. Sic Cicero judicat, Rabirium cum consulibus esse oportere: Atqui videmus (ait) hæc in rerum natura tria fuisse, ut aut cum Saturnino esset, aut cum bonis, aut lateret. Latere autem, mortis erat instar turpissimæ: cum Saturnino esse, furoris & sceleris: virtus & honestas & pudor cum Cos. esse cogebat.

CAPUT XVI.

De Syllogismo disjuncto secundo.

DIsjunctus secundus, è propositione partibus omnibus affirmata assumit unum, & reliquum tollit, ut:

Dies est, aut nox est:
At dies est:
Nox igitur non est.

Sic Juno cum Jove de Turno concludit, 10. Æneid.

----Quid si quod voce gravaris,
Mente dares, atq; hæc Turno rata vita maneret?
Nunc manet insontem gravis exitus, aut ego veri

Vana feror: quod ut ò potius formidine falsa
Ludar, & in melius tua, qui potes, orsa reflectas.

Ejusmodi syllogismus efficitur è propositione copulata negata, quæ, negata complexio dicitur: quæque disjunctionis affirmatæ vim obtinet.

Non & dies est, & nox est:
At dies est:
Non igitur nox est.

DEMONSTRATIO.

118. In disjuncto axiomate, quia necessitas non est ex suppositione aliqua sed absoluta; ideo valet hic illatio a remotione unius (sive antecedentis sive consequentis) ad positionem alterius, qui est *disjunctus primus*, & à positione unius ad remotionem alterius, qui est *disjunctus secundus*. Ratio prioris est quia in axiomate disjuncto significatur unum esse verum: ratio alterius est, quia unicum.

CAPUT XVII.

De Methodo secundum Aristotelem unica.

METHODUS est dianoia variorum axiomatum homogeneorum pro naturæ suæ claritate præpositorum, unde omnium inter se convenientia judicatur, memoriáque comprehenditur. Atqui ut spectatur in axiomate veritas & falsitas, in syllogismo consequentia & inconsequentia: sic in methodo consideratur ut per se clarius præcedat, obscurius sequatur, omninóque ordo & confusio judicatur. Sic disponetur ex homogeneis axiomatis primo loco absoluta notione primum, secundo secundum, tertio tertium,

tertium, & ita deinceps: ideóque methodus ab universalibus ad singularia perpetuò progreditur. Hac enim sola & unica via proceditur ab antecedentibus omnino & absolutè notioribus ad consequentia ignota declarandum: eámque solam methodum Aristoteles docuit.

DEMONSTRATIO.

119. Post *Judicium* sequitur *Methodus*, memoriâ enim non rectè tenentur, nec ad memoriam rectè disponuntur, de quibus prius non rectè judicatur.

120. Ad *methodum* igitur tam *inventio* quam *judicium* concurrunt: & hac ratione *methodus* ultimo in loco docetur & exercetur.

121. Dispositio est axiomatum propriè, non argumentorum, nisi qua in axiomatis includuntur: neque syllogismorum, nisi quatenus axiomatis inserviunt.

122. Hæc axiomata debent semper esse homogenea, id est, ad eundem finem & ad idem objectum sub eadem communi ratione spectantia.

123. Inter illa *methodus* observat ordinem prioris ac posterioris.

124. Prius axioma cum posteriore conjungitur in *methodo* vi conjunctionis axiomaticæ, vel expressæ, vel implicitæ.

125. Prius in *methodo* est, quod clarius est, & lucem adfert prærequisitam ad sequentium intellectum. Tale autem est, quod prius est naturâ.

126. Prius & clarius naturâ est vel causa respectu effecti, vel subjectum respectu adjuncti, vel commune respectu minus communis.

127. Cum autem progressio naturæ sit ab intentione finis, per media, ad assequutionem finis intenti: sic etiam artificiosa progressio est à fine & officio

cio totius indicato per partes, ad finis & totius perfectionem.

128. Resolutio igitur & compositio non sunt duæ methodi, sed duæ actiones, quæ possunt in uno axiomate exerceri, & in hac unica methodo quodammodo observantur ambæ.

129. Cum scopus differentis non est simpliciter docere, sed delectare, movere, decipere, tum *crypsis* hujus methodi est adhibenda, transponendo, egrediendo, commorando, & omnia ad consilium dicentis, & auditorum ingenium prudenter accommodando.

Caput XVIII.

De prima Methodi illustratione per exempla artium.

SEd methodi unitatem exempla doctrinarum & artium præcipuè demonstrant, præcipuéque vindicant; quibus quamvis omnes regulæ generales sint & universales, tamen earum gradus distinguuntur: quantóque unaquæque generalior erit, tanto magis præcedet. Generalissima loco & ordine prima erit, quia lumine & notitia prima est: subalternæ consequentur, quia claritate sunt proximæ: atque ex his natura notiores præponentur, minùs notæ substituentur, tandémque specialissimæ constituentur. Definitio

finitio itaque generalissima prima erit: distributio sequetur. Quæ si multiplex fuerit, præcedet in partes integras partitio, sequetur divisio in species: partésque ipsæ & species eodem ordine sunt rursus tractandæ, ac definiendæ, quo distributæ fuerint: & transitionum vinculis si longior inter eas intersit explicatio, colligandæ sunt: Id enim auditorem reficit ac recreat; atque ut res familiariùs accipiatur, exemplo quoque familiari nobis utendum est. Omnes definitiones, distributiones, regulæ Grammaticæ repertæ sint, atque unaquæque sigillatim judicata: omniáque hæc documenta variis tabellis inscripta, una confundantur & conturbentur in hidria aliqua, ut in Ollæ ludo fieri solet: hic si quæras, quæ pars Dialecticæ te doceat has regulas ita confusas disponere & in ordinem redigere: primò locis inventionis nihil opus est, cum sint omnia reperta: neque primo axiomatis judicio, cùm unumquodque axioma probatum & æstimatum sit: neque secundo syllogismi judicio opus, cùm sint omnes singularum rerum controversiæ his de rebus disceptatæ & conclusæ: sola methodus supereſt. Dialecticus igitur lumine methodi artificiosæ, seliget in hac urna definitionem Grammaticæ (id enim est generalissimum) & primo loco statuet: Grammatica est doctrina benè loquendi. Tum requiret in eadem urna partitionem Grammaticæ, & collocabit secundo loco: Partes Grammaticæ sunt duæ: Etymologia & Syntaxis. Deinceps in eodem vase definitionem Etymologiæ de vocibus separabit, & tertio gradu antecedentibus adjunget: tum vocis partes in literis & syllabis, speciesque in vocibus numeri & sine numero requiret, exituúmque transitiones suis locis collocabit. Atque ita omnium etymologiæ partium definitiones, distributiones, colligationes,

ligationes, exempla denique ſpecialiſſima in ſingulis diſponet. Idémque in Syntaxi faciet. Hanc viam omnes artes ſibi propoſuerunt.

CAPUT XIX.

De ſecunda Methodi illuſtratione per exempla poëtarum, oratorum, hiſtoricorum.

ATqui methodus, non ſolum in materia artium & doctrinarum adhibetur, ſed in omnibus rebus, quas facile & perſpicuè docere volumus: ideóque poëtæ, oratores, omnéſque omnino ſcriptores quoties docendum ſibi auditorem proponunt, hanc viam ſequi volunt, quamvis non uſquequaque ingrediantur atque inſiſtant. Virgilius in Georgicis diſtribuit propoſitam materiam in quatuor partes, ut antè dixi: primóque libro res communes perſequitur, ut Aſtrologiam, Meteorologiam, déque ſegetibus & earum cultu diſſerit, quæ pars operis prima erat, túmque tranſitio adhibetur initio ſecundi libri:

Hactenus arvorum cultus & ſydera cœli,
Nunc te Bacche canam.

Deinceps ſcribit generaliter de arboribus, tum ſpecialiter de vitibus. Tranſitio ſecunda adhibetur ad tertiam partem, ſed imperfectior & ſine epilo-

go.

go. Tertii libri initio de bobus, equis, ovibus, capris, canibus:

Te quoque magna Pales, & te memorande canemus
Pastor ab Amphryso.

Tandem initio quarti libri transitio tertia est de quarta parte, sed item imperfecta è sola propositione de apibus:

Protinus aërii mellis silvestria dona
Exequar.—

Sic igitur Poëta generalissimum primo, subalterna medio, specialissima extremo loco ponere studuit. Sic Ovid. in Fastis, dispositionis hujus gratiam sequitur: proposuit initio summum operis:

Tempora cum causis Latium digesta per annum,
Lapsaque sub terras ortaque signa canam.

Mox imploratione facta, partitionem anni statuit, factam à Romulo primùm in decem menses, quam reprehendit:

Tempora digereret cùm conditor urbis, in anno
Constituit menses quinque bis esse suo.

Et paulò pòst Numæ divisionem pleniorem adjungit?

At Numa nec Janum nec avitas præterit umbras:
Mensibus antiquis præposuitque duos.

Denique Poëta communes differentias interpretatus

tatus diei fasti, nefasti, comitialis, nundinalis; calendarum, nonarum, iduum, tum atri, tandem unumquemque mensem suo loco prosequitur, & præfatione ordinis hujus a generalibus ad specialia studium indicat:

Hæc mihi dicta semel, totis hærentia fastis,
Nè seriem rerum scindere cogar, erunt.

Tandem singulis partibus expositis transitio conjungitur, ut in fine 1. & initio 2.

Sed jam prima mei pars est exacta laboris,
Cúmque suo finem mense libellus habet.
Fanus habet finem, cum carmine crescat & annus:
Alter ut it mensis, sic liber alter eat.

In singulis libris postea transitiones adhibentur, sed minus accuratè. Oratores in proœmio, narratione, confirmatione, peroratione hunc ordinem affectant, eúmque artis & naturæ & rei ordinem appellant, & interdum studiosius affectantur: ut in accusatione Cicero primùm proponendo; tum partiendo, Quæstor (inquit) Cn. Papyrio Cos. fuisti ab hinc annos quatuordecim, & ex illa die ad hanc diem quæ feceris, in judicium voco, hora nulla vacua furto, scelere, crudelitate, flagitio reperietur. Propositio hic & definitio summæ rei est, tanquam in hoc judicio generalissima. Partitio sequitur: Hi sunt anni consumpti in Quæstura & legatione Asiatica, & Prætura urbana, & Prætura Siciliensi: quare hæc eadem erit quadripartita distributio totius accusationis meæ. Quas partes quatuor earúmque partium particulas deinceps suo quanque ordine & loco tractavit, & transitionibus cõpulavit, tres primas

primas tertio libro: Quamobrem (ait) Quæſtura iſtius demonſtrata, primique magiſtratus & furto & ſcelere perſpecto, reliqua attendite. Tum verò expoſitis legationis criminibus, tranſitio ad Prætoram ſequitur: Verùm ad illam jam veniamus præclaram Prætoram, crimináque ea, quæ notiora ſunt his, qui adſunt, quàm nobis, qui meditati ad dicendum paratíque venimus. Tranſitio hæc imperfectior eſt ſine epilogo: tandem principio quartæ orationis tranſitio eſt conſimilis ad quartam partem de Prætura Sicilienſi: Multa mihi neceſſariò, judices, prætermittenda ſunt, ut poſſim aliquo modo de iis rebus, quæ meæ fidei commiſſæ ſunt, dicere: recepi enim cauſam Siciliæ: ea me ad hoc negotium provincia attraxit. Sic Livius ſummam ſeptingentorum annorum initio complectitur, tum per decades divídit.

CAPUT

Caput XX.

De Crypticis methodi.

Hæc igitur in variis axiomatis homogeneis suóque vel syllogismi judicio notis methodus erit, quoties perspicue res docenda erit. At cùm delectatione motúve aliquo majore, in parte aliqua fallendus erit auditor, homogenea quædam rejicientur, ut definitionum, partitionum, transitionúmque lumina: quædam assumentur heterogenea, velut digressiones à re & in re commorationes, sed præcipuè rerum ordo initio invertetur, antecedentiáque nonnulla consequentibus postponentur. Itaque ad illam perfectæ methodi regulam hæc alicubi imperfectior forma non solùm detractis rebus mutila est, vel superadditis redundat, sed ordinis sui quibusdam gradibus inversis præpostera est. Quod Poëta facit majore quadam artificii specie, dum populum ducendum sibi proponit, id est, belluam multorum capitum, ideóque variis modis decipit, incipit à medio, ibíque primum sæpe comprehendit, postremum denique incerto aliquo & inopinato casu concludit. Sic (ut Horatius ait) Homerus Iliada disposuit:

Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo:
Semper ad eventum festinat, & in medias res
Non secus ac notas auditorem rapit: & quæ
Desperat tractata nitescere posse, relinquit.
Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo nè medium, medio nè discrepet imum.

Sic Virg. Æneam à Sicilia excepit, & in convivio Carthaginis præterita narrantem fecit: postrema variis perturbata casibus induxit. Sic Comici poëtæ

poëtæ tametsi magno judicio comœdias per actus & scenas distinguunt, efficiunt tamen ut omnia fortuita videantur. Oratores vero ad victoriam omnia referunt. Itaque non tam docendi, quam permovendi gratia firmissimum quodque primum ab iis collocatur, dum tamen ea quæ æque excellent, serventur etiam ad extremum, & Homerica dispositione mediocria in mediam turbam atque in gregem conferantur.

DEMONSTRATIO.

PEr Logicam hunc in modum exercitam, intuemur quicquid rationis ullo modo circa ens quodcunque versatur. Occurrunt enim primo simplicia rationis, deinde eorum dispositio. Simplicia illa vel sunt in ipso artificio & fabrica rei vel extra illam. Primo artificium rei nosse oportet priusquã testimonium de illa vel accipiamus vel perhibeamus. Simplicia in artificio rerũ sũt vel primaria, vel secundaria quæ ex illis oriuntur. Illa primo intuemur ut sunt in sese, antequam comparamus cum aliis. Et in sese, prius quid sint, quam quid non sint. Quid sint, tam in essentia & existentia, quam in subsistentia, complementis & ornamentis. Ubi sic intuiti sumus quicquid ad rei consummationem spectat, inde videmus non esse rem aliam, sed differre ab omnibus; ab aliis leviore dissensione, ab aliis majore: neque tantum ab aliis rebus differre, sed etiam à nihilo, vel negatione sui. Post contemplationem hanc, qua considerávimus quid res sit, & quid non sit, comparamus eam cum aliis vel in gradu, vel in natura sua, & reperimus æqualem, vel inæqualem, similem vel dissimilem. Quum sic intuiti sumus illa quæ prima sunt in artificio rei, secundaria quadam consideratione ad ea deflectimus quæ ab iis oriuntur: con-

templantes denominationem rei, ab argumento aliquo essentiali vel complementali, una cum nominis ejus ad alia cognatione: deinde communitatem illam, quam eadem res habet in consentiendo cum multis: quomodo effectum unum sit respectu multarum causarum vel una causa respectu multorum effectorum, vel unum adjunctum respectu multorum subjectorum, vel unum denique subjectum respectu multorum adjunctorum. Hac autem in consideratione, videmus rem esse integrum, consistens in suis membris, quæ nihil aliud sunt nisi symbola seu comprehensiones causarum: deinde ut speciem certi generis, quod continet easdem speciei causas quas membra continent integri, sed alio modo. Postremo postquam prima & secundaria contemplatione rem sumus intuiti, tam intra quam extra, sursum deorsúmque, & ad latus speculando, & naturam ejus penitus quasi pervasimus ac penetravimus, tum limitamus illam, & certa definitione fines essentiæ circumducimus: eósque vel proprios designamus materiâ scilicet & formâ, in definitione perfecta: vel quasi circumscriptione linearum quousque pertingant ostendimus in descriptione. Post horum omnium contemplationem, tum de rei natura vel perhibere testimonium vel accipere licet securé.

Hæc simplicia rationis postquam inventa fuerint, congruenter naturæ suæ disponimus: idque vel primario ad judicium vel secundario ad memoriam. Ad judicium tentandum disponuntur argumenta prout sua propria luce apparent: & in re manifesta sententia statim fertur: sive illa conjungantur, sive disjungantur: sive simpliciter, sive compositè hoc fiat. Si vero in dubio res versetur, tum ad lucem & fidem faciendam, auxilium petitur à tertio aliquo argumento, quod cum illis disponitur, vel singulatim, ut in simplici syllogismo, ut lumen singulis admoveatur; vel conjunctim, ut in composito. Post quam rerum

coa-

Principia Logicæ veræ ex ejus ſubjecti, vide
cta; ipſámque Logic

Per Logicam intuemur, quicquid Rationis



us ſubjecti, videlicet Rationis,
ipſámque Logicæ eſſentiam co

mur, quicquid Rationis ſive affectionis ullo

out rem in
cant : Quid
- *ſit* nimirum in ſua
  - 1. *eſſentia* ——
  - *exiſtentia* ——
  - 2. *ſubſiſtentia* ——
  - *complemento* vel orna
- *non ſit :* ubi enim intuiti ſumus quicquid ad re
  ſummationem ſpectat, videmus rem non eſſe
  quam videmus, ſed jam differre tantùm ab

: poſtquam enim contemplati ſumus quid res in
non ſit, comparamus jam cum aliis rebus, vel in
- *Gradu* (
- *Natura ſ*

ffectione vel eſſentiali vel
t vocis ſeu nominis rei
- *cognatio*, ad alia nomina ——
- *denominatio* ——

Affecti-
ne, ut
- *communitas* cum aliis rebus, hâc autem
  conſideratione videmus rem eſſe, vel
  - *integrum*
  - *genus*.
- *ſingularitas*, quâ conſiſtit in ſeſe ab aliis omnibus
  poſtquam ſcilicet primariâ & ſecundariâ conſid
  ſumus intuiti, tam intrà quam extra, ſurſum deo
  latera ſpeculando, & naturam ejus penitùs quaſ
  ac penetravimus, tum limitamus eſſentiæ illius fi

m aliorum omnium in naturâ rei contem-
affectio, quâ de ejus natura atteſtatio vel
- *perhibetur*.
- *accipitur*.

imariò, ad judicium de
illis ferendum, quæ ſi
ſint ac proponantur
- *Claræ*, per ſe ac ſuâ luce manifeſtæ
- *Obſcuræ* & dubiæ, de iis ampliùs d
  affectionis ſimplicis, cum poſt tal
  fertur tanquam de re manifeſta —

cundariò, ad rectè judicatas memoriâ retinendum juxta ordine

ionis, naturali circa Res usu, colle- Ad pag. 99
um constituentia.

nis ullo modo circa ens quodcunque versatur.



coagitationem, certum judicium fertur tanquam de re manifesta.

Secundaria dispositio ad memoriam est in methodo: qua disponuntur argumenta axiomatis inclusa, & vel per se, vel ope aliorum judicata, eo ordine quem habent in sua natura.

Videntes igitur Logicæ virtutes, sedulo studeamus oculum rationis nostræ per hanc propriam ejus regulam directum habere, & exerceamus nosmet ipsos ad hanc rationem, ut omnia in omnibus distincte contemplari, certo judicare, & constanter meminisse possimus.

FINIS.